



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>





0.11

C. Gal 3 H.

DISSERTATIO ACADEMICA

DE
ORIGINE GERMANORUM,

eorumque
STATU RELIGIONIS,
POLITICO, ATQUE LEGALI,

Addita Digressione
DE

UTILITATE, IMO NECESSITATE
JURIS JUSTINIANEI,

QUAM
SUB CLEMENTISSIMIS AUSPICIIS
CELSISSIMI, AC REVERENDISSIMI
DOMINI DOMINI

ANDREÆ JACOBI

Archi-Episcopi, & S. R. I. Principis
Salisburgensis &c. &c.

In Alma & Archi-Episcopali Universitate Salisburgensi

PUBLICÆ DISPUTATIONI

SUBJECIT
ILLUSTRISSIMUS, AC GENEROSISSIMUS DOMINUS


LEOPOLDUS FERDINANDUS
S. R. I. Comes de PRANCK, Ejusdem Altesatæ Celsi-
tudinis Ephebus,

AUCTORE ET PRÆSIDE

JOANNE DOMINICO PEREGRINI,
J. U. D. etiam Altesatæ suæ Celsitudinis Consiliario, Actuali Auli-
co, & Pandectarum Professore Ordinario.

Die Augusti Anno à Partu Virginis M. DCC. L.

SALISBURGI, Typis Joan. Jos. Mayr, Aulico-Academici Typographi p.m. Hæredis.



**Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere:
Ecce hoc recens est: jam enim præcessit in sæculis,
quæ fuerunt ante nos. *Ecclesiast. cap. 1. v. 10.***



In Justitiæ tramites Fervorem (*Diligite justitiam, qui judicatis terram.*

Sap. cap. 1. vers. 1.)

In subditos Clementiam, in pauperes Liberalitatem (dicerem veriùs prodigalitatem, si erga pauperes prodigalitas dici, darique potest!) intueor, hæc omnia in TE primatum tenent. Illam cum tota Aula admiratur Civitas, testantur Ædes sacrae, quas statis temporibus, omni intemperie insuper habitâ, invisere assuevisti: Alteram subjèctissima TIBI Dicasteria deprædicant: Istam unanimi veneratione tota dilaudat, suspicitque Provincia: Hanc denique viduæ, pupilli, aliique egestate summâ pressi, suis quotidianis precibus ad sidera usque tollunt.

Quid de Tua, PRINCIPUM OPTIME! Æquanimitate, innatâque Benignitate dicam? Nunquam satîs! Abundè ostendis, quàm invictus aspero remedio manus admoveas: Potentiã tuam placidè, ac salutariter exerces: iniquis non aliter, quàm si necessitas urgeat, acerbis.

Et

Et juxta monitum Senecæ laudabilissimè! Ait ille

Lib. 1. de Clement. cap. XIV.

ubi Principes patriæ Patres appellat. *Tardè sibi pater membra sua abscindat : etiã cum absciderit , reponere cupiat : & in abscindendo gemit cunctatus multùm , diùque. Propè enim est , ut libenter damnet , qui citò : propè ut iniquè puniat , qui nimis. Hinc inculcat idem morum Magister*

Ibidem cap. 3.

Nullum tamen Clementia ex omnibus magis , quàm Regem , aut Principem decet. Optimè , me hercle ! monitum ejusdem Senecæ , quod habet

Tum Epistolâ XLVII. cum eodem Lib. 1. de Clement. cap. VII.

*didicisti. Ibi sapientissimè , ut solet , ita scribit : Hæc tamen præcepti mei summa est : sic cum inferiore vivas , quemadmodum tecum superiorem velles vivere. Quoties in mentem venerit , quantum tibi in servum liceat , veniat in mentem , tantundem in te domino licere. At ego , inquis , nullum habeo dominum. Bona
ætas*

CELSISSIMO

REVERENDISSIMO
DOMINO DOMINO

ANDREÆ

JACOBO

ARCHIEPISCOPO,

ET SAC. ROM. IMP.

PRINCIPI

SALISBURGENSI,

S. SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO

NATO, GERMANIÆ PRIMATI,

EX ILLUSTRISSIMIS COMITIBUS

DE

DIETRICHSTEIN &c. &c.

DOMINO DOMINO

PRINCIPI,

ET MÆCENATI

CLEMENTISSIMO &c. &c.

CELSISSIME, AC REVERENDISSIME
ARCHIEPISCOPE,

ET
Sac. Rom. Imp.

PRINCEPS!
DOMINE, DOMINE,
AC
MÆCENAS
CLEMENTISSIME!



Ermanorum originem, Eorùm-
que Statum quàm Civilem, &
quàm Legalem, annexâ Digressio-
ne de Auctoritate, atque Ne-
cessitate Juris Romano-Justi-
niani TIBI in genua profusus
sisto, **PRINCEPS CELSISSIME!** Et sanè ne-
mini meliùs, atque ex multis Capitibus nemini

)(3

de-

decentiùs ! PRIMATUM Germaniæ tenes,
Eúmque Tuarum virtutum Excellentiam, animi-
que Dotibusita adornas, ut non TUilli, sed ille
TIBI sine controversia primas deferat. Præci-
pua omninò est Dignitas, sed vel ideò magis
resplendens, quia à tot, tantisque præroga-
tis Summo Principe verè dignis potissimùm
exinde illustratur, TEque eò Beatiorem red-
dit, quò minùs (ut vox Canonistarum est) per
ambitionem ad hanc fueris evectus. Vetus
enim illa de TE concepta opinio ex Benefi-
centia, & Prudentia, aliisque erga Provinciam,
ejusque Cives, & incolas præclarissimis factis
ubique diffusa, jam tantò crevit ampliùs, quan-
tò magis reliquos amore patriæ antecellere vi-
debaris, adeò ut verificari debuerit illud: *Vox
populi, vox DEI.* Et profectò meritissimè!
Si enim Tuam, ARCHI-EPISCOPORUM
MAXIME! quâ in Superos fereris, Pietatem
(quippe oportet *Episcopum sine crimine esse,
sobrium, justum sanctum.*

1. ad Timoth. 3.)

In

3
ætas est, forsitan habebis. nescis qua ætate Hæcuba servire cœperit, qua Cræsus, qua Darii mater, qua Plato, qua Diogenes? Vive cum servo clementer. Hic, ubi Principibus Deorum animos inesse debere, asserit, hæc habet: Optimè hoc exemplum Principi constituam, ad quod formetur, ut se talem esse Civibus, quales sibi Deos velit. Hæc omnia TIBI propria esse, omnium sermo est, & ipsa experientia comprobat.

Fortean TUA in rebus agendis Æquanimitas intra territorii, aut subditorum limites sese cohibere patitur? Minimè gentium! Etiã exteris; nec tantùm finitimis; sed & remotioribus Tua, PRINCEPS SAPIENTISSIME! in arduis, & difficillimis tractandis Modestia, congenitâque Prudentia omninò perspecta est: Non deficerent, si vacarent paginæ, exempla: Unum silere non possum. Quid illud? Sententia aureis literis, & tanto Principe verè digna! Facis, & fieri jubes, ut *Exteri, quamvis TIBI inferiores, ita tractentur, ac velles ipse, si illis esses inferior, ab iis tractari: Oraculum in natura quidem fundatum,*
() () sed

sed fatiſ paucis (ſi licet eſſari quod res eſt) vel
notum, vel innatum, vel aſſuetum!

At quô raptus ſpiritu in laudes Tuas,
PRINCEPS CLEMENTISSIME! ire audeo,
vel præſumo, dum optimè novi, Te rerum
omnium aliàs patientiſſimum, Tuorum tamen
encomiorum eſſe adeô impatientem, ut ea pro
Imperio arcere contendas? Hæc TU, quam-
vis maxima ſint, laudari vetas: prohibes præ-
dicari. Ita eſt, minimè laudari volunt, qui
inerentur maximè: Ignosce, **MÆCENAS**
CLEMENTISSIME! ſi audacior factus, ro-
gem, quinam igitur laudandi? Si Modestiam
Tuam, minimè tamen veritatem, aut Superos
offendi. Liceat jam Clementiâ Tuâ confiſo
ulteriùs pauciſſimîs adhuc peccare. Nemo
eſt, qui ignoret, quanta animi Demiffione,
quæ omnium aliarum virtutum baſis, & fun-
damentum eſt, tum præhabitis, cùm ſum-
mæ huic Dignitati fueris reluſtatus: Dum enim
non pauci Eorum, penes quos erant ſuffragia,
aliique, quibus Reipublicæ utilitas maximè
cordi erat, ad Te confertim irent, rogarént-
que

que, ne paratum divinitus, deferendumque
Archi-Episcopalem Pontificatum acceptare re-
nueres, sæpius retulere repulsam, ita, ut nul-
latenus eorum precibus, sed omninò divina vi,
patriæque amore, vix non hæctenus inaudito
subditorum gaudio, expugnari debueris. Et
quò magis ascendisti, juxta monitum Cicero-
nis *de offic.* eò adhuc humilior factus. Nec
mirum: nam ubi humilitas est, ibi & sapientia

Prov. 11. v. 2.

Jam non diutiùs patientiâ Tuâ abutar **PRIN-**
CEPS CLEMENTISSIME! Ad materiam
tanquam ad alterum submisissimæ Dedicatio-
nis motivum convertor. Hanc si specto, rur-
sus nisi ad has Aras tanquam ad sacram Ancho-
ram eundum erat. Potentissimo indiget Pa-
trocinio: Innumeris crismis allisa scopulis;
nec paucioribus, quos seu invidia, seu contra-
dicendi pruritus, seu nimis præconcepta ali-
quorum opinio ciere adlaborabunt, agitata tur-
binibus, vix, ac ne vix quidem aliter, quàm
sub invicto Germaniæ PRIMATIS subsidio
nafragium evadet. Vela etiam dabit majo-

)((2

rum

rum Tuorum, qui pro Germania nostra tanta præstitere, certè non levis Authoritas. Hic sanè amplissimus foret exspatiandi campus, sed ne eorum in utràque Republica tam sacra, quàm profana, in omni Statu, quà Ecclesiastico, quà Civili, & quà Militari partam Gloriam impolito sermone obscurare magis, quàm illustrare nimiùm audacter præsumere videar, eò tutiùs abstineo, quòd minùs Illustrissimorum Avorum Tuorum Virtutes, ac in Imperium Romano-Germanicum merita cuiquam, nisi qui omnia nescit, ignota sunt.

Extollitur hìc prætereà Jus Romano-Justinianicum præ Vet. Germanorum Legibus, vel abrogatis, vel ignotis, vel aliis nævis ægerrimè sese habentibus: Vix non ex quorundã opinione contra torrentè iri videbitur; idcirco etiã hìc potenti Tuo Brachio opus est. Porrigè: Tuáque potestate Legislatoria (salvìs Provinciæ Statutis) his laboribus fave, Tuóque prudentissimo suffragio subscribe.

Si me ipsum considero, de alio, quàm de Tuo summo Patrocinio minimè erat inqui-
ren-

rendum, TU Thesiū harum PATRONUS,
TUque idem MÆCENAS. Hosce conatus
meos redhostimenti locò pro tot, tantisque in
me immeritum largissimè collatis Gratiis, atque
beneficiis (ita demississimè precor) admitte : &
cùm gratias agere TIBI MÆCENAS SUM-
ME ! possim, non autem referre, esto *optima
beneficiorum custos, ipsa memoria beneficio-
rum, & perpetua confessio gratiarum.*

S. Chryf. hom. 25. super Matth.

Sequar pro coronide Æschinis exemplum :
quod Seneca ita narrat :

Libr. 1. de benef. cap. 8.

*Socrati cùm multa multi pro suis quisque fa-
cultatibus offerrent, Æschines pauper auditor,
nihil, inquit, dignum te, quod dare tibi possim,
invenio : & hoc uno modo pauperem me esse
sentio. Itaque dono tibi, quod unum habeo,
me ipsum. Hoc munus rogo qualecunque est,
boni consulas, cogitèsque alios, cùm multum tibi
darent, plus sibi reliquisse : Quid ad hæc So-
crates ?*

*- - - Habebo, reposuit, curæ,
ut te meliorem tibi reddam, quàm accepi.*

X X 3

Fui-

Fuisti jam PRINCEPS CLEMENTISSI-
ME, MÆCENATUM OPTIME! alter
Socrates, erisque (ita flexo poplite rursus de-
mississimè rogitò) impolterum ; ego autem
ero alter Æschines, ac ita Tuis gratiis superfu-
sus, ac penè obrutus ero, quamdiu ero

REVERENDISSIMÆ
CELSITUDINIS TUÆ

Humillimus, & Subjettissimus

DEFENDENS.

AP.

APPROBATIO S. FACULTATIS THEOLOGICÆ.

Presentem Tractatum Juridico-Historico-Criticum attentè perlegi, in eoque non modò nihil Orthodoxæ Fidei, morumque regulis adversum, sed omnia his plenè conformia, imò Clarissimi Auctoris in veram Religionem, ac Pietatem summum studium (quod aliunde quidem publicè compertum suspicimus) per omnes fermè paginas emicare deprehendi. Totum quoque Opus ob singularem rarioris eruditionis amœnitatem, ac præstantiam, & soliditatem doctrinæ stylo nitido, ac ordinatissima methodo, succinctè simul, ac perspicuè expositæ dignissimum, judico, quod ad maximam legentium utilitatem, ac Clarissimi Auctoris gloriam, cui hanc eruditissimam Lucubrationem, & Clementissima CELSISSIMI PRINCIPIS Auspicia ex corde gratulor, in publicam lucem prodeat.

Salisburgi die 21. Augusti 1750.

P. ODDO GUTRATH, O. S. B.
ad S. Petrum hîc Salisb. Professus, SS.
Theologiæ Doctor, Ejusdémque in hac Univer-
sitate in Scholastico-Dogmaticis Professor Ord-
narius, Celsissimi, ac Reverendissimi Archi-Epi-
scopi, & S. R. I. Principis Salisburgensis Consi-
liarius Ecclesiasticus, & Sacræ Facultatis Theo-
logiæ p. t. Decanus.

AP.

APPROBATIO INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ.

MOres, & Instituta veterum Germanorum eleganti non minus, quàm erudito calamo ex probatissimis fontibus collegit Author Clarissimus, adjectisque observationibus, & cœteriis passim illustravit. Quæ res uti non modò Historiæ Cultoribus jucunda, & Juris Publici Studiosis proficua, ita in hunc potissimum usum comparata est, ut inde quisque velut in speculo contueatur, immane quantum ætas nostra à prisco illo ævo deflectens, vel ad virtutem emendata profecerit, vel depravata in vitia procubuerit. Tum verò post recensitas variorum Germaniæ populorum leges ad Juris Justiniani utilitatem, & necessitatem digreditur, ejusque auctoritatem contra quorundam Novatorum conatus, qui illud penitus è sede sua, quam tot seculis quietam obtinuit, excutere moliuntur, firmissimis argumentis adstruit. Prelo igitur, & Academico Prælio dignissimum opus esse censeo, quod non modò Clarissimi Authoris celebritatem, sed & Illustrissimi D. Defendentis insignem eruditionem publico testimonio Orbi literario commendet. Die 20. Augusti 1750.

FRANCISCUS CAROLUS

SCHLOSSGANGL ab Edlenbach, J. U. Doctor, Celsissimi, ac Reverendissimi S. R. I. Principis, & Archi-Episcopi Salisburg. &c. &c. Consiliarius actualis Aulicus, Juris Publici, Codicis, nec non Naturæ & Gentium Professor Ordinarius, Facultatis Juridicæ p. t. Decanus.

AD



AD LECTOREM BENEVOLUM.

Meraberis, Lector Benevole! quod hanc Materiam veluti tenebris involutam, ita in se amplissimam, multisque sanè difficultatibus præpeditam aggredi ausus fuerim: Nec, ut lubens fateor, immeritò! Rem enim illustrandam sumpsi, cui alii Doctrinâ, Eruditione, historiâque Peritiâ me longissime præstantiores, & quibus omninò primatum defero, laudatissimè manus admovère, adeò ut quis non abs re objectare possit:

Ad quid perditio hæc? hominem sic perdere tempus!
Ex variis varium libris componere librum!

Benè! nec agrè fero: spero tamen, Benigne Lector! te bis meis ausibus veniam daturum, si horum laborum rationem audire non gravaberis. Alium mihi scopum (Erat ille ulterior Pandectarum Elucubratio) præfiveram, Jurium Auditoribus, ut mihi videbatur, magis proficuum. Verùm cum meum hoc propositum, nescio qua de causa, displiceret, vel minus judicaretur congruum, de alia Materia cogitandum fuit. Occurrit (num sorte, aut fatò, vel studiò? haud facillè dixerim) Germanorum origo; At non statim etiam occurrère difficultates, quæ facillè potuissent abstergere. Idcirco in hanc Provinciam insensibiliter dilapsus, ad aliam amplius ob temporis angustias divertì non potui. Diu hæsi! Calcar tamen, ut cæptis insisterem, addidit major, quia utilior, propensio in Jus Romano-Justinianæum. Cogitabam, illud non leviter periclitari, dum Doctissimorum Virorum non pauci contra nostrum hoc Jus acerbè excitati Veterum Germanorum Leges, aliæque quarundam Provinciarum statuta ita extollere adlaborant, ut ad Jus, quod in scholis passim prælegitur, parùm vel omninò nihil curæ haberi velint. E re itaque esse visum fuit, huic gravissimo malo, ostensâ paucis Germanorum Origine, visòque eorum Statu, præsertim legali, obviam ire, & ex confessione horum ipsorum Authorem collapsam undique Legum Germanicarum structuram ob oculos ponere, sedulòque præcavere, ne studiosa Juventus, cui (& nullatenus Eruditis) ista scripta, dictaque volumus,


mus, ejusmodi damnosissimis præjudiciis seducta, Juris Romani principia cum maximo Reipublicæ, atque Jurisprudentiæ detrimento planè negligat, atque ad Jura incognita, obsoleta, nullòque ordine sistematico compacta (nolo dicere cum aliis, à frugibus ad glandes) se se temerè convertat. Discant Jurium Auditores (ita seriò monitos rogo) mores Patrios, discant Statuta Provincialia, & quæ certa sunt (vid: Refl. Monitoria ad Calcem Dissertationis) servent incorrupta, quòd si dubia sint, vel deficient, ad Jus Justinianicum recurrant: Et ita tum Superis, tum Reipublicæ, eùm officio suo, & sibi ipsis facient satis. Ceterum Historica quod attinet, usus fui Auctoribus probatissimis. Si quis aliter, & meliùs sentiat, non disputabo: Nec enim ista (in re quippe tam abscondita, & remota) mea facio; sed liberum cuique Judicium relinquo. Si erravi, non recusò amice moneri, sed potiùs habebò grates. Ignosces, nec dubito, si & temporis angustias, & alios quotidianos, quibus occupabar, labores, & materiæ arduitatem perpenderit. Si verò nec ista movent, audaciter tibi occino:

Critice, si mea præsumas arrodere scripta,
 Fac meliora priùs, postea rode satur.

Meliora tamen mihi polliceor, & quidquid demum fit, vive, vale, & vel invitus fave.



PARS



PARS PRIMA

*De origine Germanorum in genere , eorū-
que Nominibus , Statu Religionis, & Politico.*

SECTIO PRIMA

De Origine Germanorum.



Germanorum Originem quæsitum eunti
mox in limine id ipsum obviare posse vi-
detur , quod de numero liberorum in
ventre matris liberæ refert J. C. Paulus
in l. 3. ff. si pars hered. petat. Ibi: *Nam multa de hujus-
modi re tam varia & incredibilia creduntur , ut fabulis an-
numerentur.* Adeò quæ de vetustissimo antiquæ
Germaniæ statu traduntur , spissis nebulis ac pro-
pemodum tenebris involuta sunt : Quod , ut &
aliis Gentibus æquè contigisse, ferè compertum est,
ita non infrequens erat Deum quemdam fingere
Authorem , & ita incertam Gentis originem redar-
guere. Sic Romani à Venere, Ægyptii ab Iside,
Thuringi à Thore sive Jove , Gothi à Godan sive
Mercurio suum ortum trahere autumabant.

Jam quid de Germanis?

Referuntur variae opiniones.

Hanc ipsam sortem & super Germanos cecidisse, vult Tacitus *de Morib. Germ. c. 2.* ubi hæc scribit: *Celebrant Carminibus antiquis (quod unum apud illos memoria, & añalium genus est) Tuistonem deum terra editum, & filium Mannum, originem gentis conditorésque. Manno tres filios assignant, à quorum nominibus proximi Oceano Ingevones, medii Herminones, ceteri Istævones vocentur. Quidam autem licentia vetustatis plures deo ortos, plurésque gentis appellationes, Marsos, Gambrivios, Suevos, Vandalos affirmant: edque vera, & antiqua nomina. Erat autem cõmunis opinio TUISTONEM esse MERCURIUM, qui Celtis THEUT dicebatur, ac sub ejus nomine nullum alium, quàm Chanaanum Chami filium latere contendebant, ut vult Kriegsman de Germ. gent. orig. c. 8. jungat. Cluver German. antiq. lib. 1. c. 9.*

2 Nec desunt, qui Berosum secuti volunt, Tuistonem fuisse Gigantem, primúmque Germanorum Regem, qui statim à diluvio ab incompleta turri Babylonica ex Armenia in Europam venerit, annémque Tanaim transgressus, & pater factus Sarmatarum, Germanorúmque ambitum, quem lustraverat, in Regna, Toparchias, & Tetrarchias, assignatis habitatoribus coloniis, diviserit. *vid. desuper Aventinus Annal. Boic. lib. 1. c. 5.*

Reflexio Historica.

3 Verissima superius narravit Tacitus, carmina antiqua unum apud Germanos memoriæ, & annalium genus fuisse quod ipsum jam innuisse videtur *II. Ann. 88. in fin.* Ibi: *canitur (Arminius) adhuc barbaras apud Gentes.* Et firmatur ulterius ex Jordane *de reb. Getic. c. 19.* qui hoc etiam moribus Gothorum observatum fuisse refert, in verbis: *Cantu majorum facta modulationibus, citharisque canebant.* Quò similiter spectat testimonium Ammiani Marcellini *lib. 15. Rer. Rom. c. 17.* qui Bardos apud Veteres: *Fortia virorum Illustrium facta heroicis composita versibus dulcis lyrae modulis cantitasse, memorat.* Hinc de illis Lucan.

Vos

*Vos quoque, qui fortes animos, belloque peremptos
Laudibus in longum vates diffunditis ævum,
Plurima securi judistis carmina Bardî.*

Alia Reflexio Critica.

Quòd autem Thuisto nullus alius fuerit, quàm Mercurius, eò minus meretur fidem, quò minus ex historia constat, vel hujus filium fuisse Mannum, vel Mercurium terrâ eductum. Facilius illud alterum dari poterit, per Tuistonem ADAMUM terra compactum, per Mannum verò NOACHUM, de cujus tribus filiis satis constat, intelligi, dum primævas Mundi Origines ipsi Gentiles, mutatis tamen nominibus, tradidère; siquidem, ut supra monitum, Tuisto idem est ac Theut, unde, ceu scribit Hert. *Notit. vet. Germ. part. 1. c. 1. §. 2.* Græcorum Θεός, & Latinorum Deus. Gallorum veterum Teutates, seu Ditis, à quo patre & hi se prognatos esse putabant, ut Julius Cæsar *lib. 6. de B. G.* memoriæ prodidit. Sic pariter Ægyptii vocabulo Theut sive Deum, sive divinum virum significabant. Quòd si cum laud. Hert. *loc. mox cit.* per Mannum Adamum intelligere velis, id & per nos, qui nullam harum opinionum nostram facimus, sed in medio relinquimus, licebit. Ne tamen mirearis, quòd Tacitus, *ubi supra c. 2.* ex errore Gentilium, qui veram hominum originem ignorabant, fortè persuasus, homines fungorum, aut arborum instar è terra pullulasse, ita de origine Germanorum scripserit: *Ipsos Germanos indigenas crediderim, minimèque aliarum gentium adventibus & hospitibus mixtos: quia nec terra olim, sed classibus advehebantur, qui mutare sedes querebant: & immensus ultra, utque sic dixerim, adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur. Quis porro præter periculum horridi & ignoti maris Asia, aut Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret? informem terris, asperam cælo, tristem cultu, aspectûque, NISI SI PATRIA SIT.*

III. Reflexio Critica.

Cavendum hîc itaque monent, ab errore! Tacitus sacrorum Scriptorum, seu sacræ Bibliæ vel ignarus, vel saltem incre-

dulus, gentilem de humani generis origine (ut meritò suspicari licet) habuit fidem , quâ suam cuique solo innatam gentem, antiquitate conspicuam , omnes opinabantur ; idcirco etiam, primum gentis Germanicæ conditorem terrâ editum unâ cum ipsis præcis Germanis credidisse videtur. Nos, qui sacros libros pro unica veritate agnoscimus, sanctâque Christianorum profitemur religionem ; primum, unumque solum hominem in Asia à Deo conditum, atque ab hoc cunctos cæteros ortos mortales , tam ante, quàm post diluvium in omnes terrarum partes diffusos fuisse, haud ignoramus. Proin nostræ quoque gentis primos conditores ex eadem profectos terra, haud dubitamus, fidéque certa credimus.

§. II.

Afferuntur ulteriora.

6 **S** Anè quod ad primam Germanorum originem attinet, veritati admodum congruit, quòd aucto post magnum diluvium mortalium genere, subsequutâque in structura turris Babyloniz linguarum confusione, homines per vastum terrarum orbem spargi, posterique Japheti (Poëtis Japeti) à quo ex communi asserto populi occidentales ortum suum ducere, existimantur, ex Asia in Europam sese diffundere, terrasque Germanicas ferè inter primas colere, habitareque cœperint. Illud probatur tum *Gen. 11. c. 8. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, & cessaverunt edificare civitatem, cum ex Josepho Antiquit. lib. 1. c. 10. Divisit autem post hæc diversitate linguarum migrationes agentes ubique: & terram apprehendentes unusquisque felicem: & ad quam eos Deus deduceret: ita ut omnis terra per eos completeretur, mediterranea simul, atque maritima. Quidam etiam navibus transeuntes insulas habitaverunt: unde & aliquæ gentes ab institutoribus positas appellationes hætenus servant. Quidam verò placita sibi nomina mutaverunt: alii autem ut inhabitatoribus clarius esse visum est: conversationem hominum fecerunt. Istud haud difficulter persuaderi poterit, cum, Etymologia nominis loquente, Germanis, seu Teutonibus venen *Teutschen* THEUT, seu TUISTO (aliis Tui-*

Tuisco Tuitso Tuito Teuto Teutas, quisquis demum ille fuerit) à temporibus Noëmi ex communi Scriptorum calculo non multum distans nomen dederit: hinc orta lingua Theodisca (modernis Italis Tedesca) apud Servium *II. X. Æneid. Concil. Turon. II. de A. 567. c. 17.* & Mongunt. *I. c. 2.* Hert. *ubi supra §. 4.* Inde etiam fluit notante eod. Authore, quòd plurimi ex iis sibi varia nomina fecerint, velut Theuta nobilis illa Illynorum-Theodelinda Longobardorum Regina, Theutobochus, Teutomeres, Theodebaltus, Theodomer, Theudis, & alii *ibid.*

I. Reflexio Hist.

Sunt, qui existimant, Germaniam ante diluvium à Gigantibus fuisse habitam, ut variis conjecturis ostendere conatur Conring. *de antiquiss. Helmstadii, & viciniae Statu.* Facilius hoc admitti poterit, cum nulla subsit implicancia, quam quòd Germani originem suam ab Asceneze seu Ascenaze, Japheti ex Gomerò *Gen. 10.* nepote deducant. Nititur quippe hoc, ut post H. Grotium *Proleg. ad Histor. Gotth.* contendit Hert. *loc. cit. §. 3.* errore Rabbiorum, qui pro Carmania, quam Onchelos in Genesi Ascenazem inhabitasse scripsit, Germaniam perversè intellexerunt. Et Πρυγγες, quos ab Ascenaze conditos, Josephus *L. 1. origin. c. 7.* tradit, perperam pro Rhenensibus, sive Rhenigenis accipiuntur. Nam ab Ascenaze potius esse gentis minoris Asiæ, mari Ægeo propiores, Gerardus Joannes Vossius nos docet. *conf. Jeremias LI. 27.* & ibi H. Grotius, annotans, in Asia esse Ascaniam partem Phrygiæ & Mysiæ. Porro de Ascenaze, ut volunt, Germanorum Parente conjectura Cluv. *lib. 1. c. 4.* hæc est. Cum multitudo hominum à diluvio ita excresceret, ut ea, quam tunc trans Tigrim incoluerunt, pars Asiæ omnes capere nequiret, monuit Dominus Noachum, ut, universi orbis divisione in filios, nepotésque factâ, colonias quoquo versum emitteret; quo universa iterum coleretur terra. Universo igitur orbe (puta nostro; cujus partes Asia, Europa, atque Africa) pro numero filiorum Noachi, in tres partes divisò, Semo omnem Orientem cum dimidio Septentrionis, in Orientem

tem converso, Chamo Meridiem, Japheto Occidentem cum altera Septentrionis parte, venisse, haud inscitè ex sacris simul profanisque collegerunt libris viri docti. Ita quidem, ut uniuscujusque filiorum Noachi filios, nepotésque seorsim, in sua quemque orbis terrarum parte, discretos, diversósque ab invicem coluisse, maximè credibile sit. Proinde dictam quoque Asiæ partem unis Japheti filiis, nepotibusque, unà cum reliquo Occidente dimidiâque Septentrionis parte cessisse, traditur. Atque hæc quidem universi orbis in tres partes ex numero filiorum Noachi partitio perpetuò postea obtinuit: ita ut Semi portio Asia, Japheti Europa, Chami Libya, sive Africa, vocabulis nescio unde quæsitis, semper vocitatæ fuerint. Has autem orbis partes non ipsi Noachi Filii, sed eorum primùm Filii, nepotésque post Babylonicam linguarum confusionem *Gen. c. 11.* occupâsse creduntur.

Et cum fuerint tot linguarum ortæ, quot familiarum erant capita, etiam divisæ sunt regiones gentium cuique secundum linguam suam, secundum familias in Gentibus suis. Ita S. Textus *Gen. 10. vers. ult.* Enarratis Asiæ & Africæ divisionibus concludit Cluv. *cit. c. 4.* reliquas versus Occidentem Septentrionésque terras tres tenuisse filios Thogarma, Riphat, & Aschenaz.

Thogarma seu Thogorma, supra Tauros, atque Moschos, vastas Magnæ Russiæ, sive Moscoviæ, Litaviæque australis obsedit silvas gens ipsa dicta Turcæ; quos inter Mæotin paludem & Caspium mare collocant, Herodotus *Lib. IV.* Plinius *Lib. VI. Cap. VII.* Mela *Lib. I. Cap. XX.*

Riphat ulteriorem occupavit Russiæ Magnæ partem, inter Obium amnem, & Finniam, sinúmque Album, adusque Oceanum. Gens ab eo RIPHACES, Mela *Lib. I. Cap. II.* à quorum nomine montes Riphæi appellati sunt. Gens ipsa posterioribus sæculis, quum pars ejus in antiquam Turcarum sedem successisset, clariùs innotuit nomine RUSSI; Græcis Scriptoribus vocabulo indeclinabile *οἱ Ρῶς* (ut etiam nunc omnibus Slavici generis populis *Rus*) & nonnunquam *Ρῶροι* dicti.

Hinc

Hinc reliquum omne (pergit denuo Cluv. *ibid.*) quantum sub variis nominibus *Illyrici, Germanie, Gallie, Hispanie, & Britannicarum insularum*, ad Hyperboreum usque mare, quâ id Lap-
piam, ac Norvagianam perfundit, & ad Oceanum Atlanticum protenditur, quamquam terrarum spatium vastissimum, tamen, quia omnium remotissimum, unus solus sortitus est Aschenezes, omnium parens conditorque **CELTARUM**: à quorum nomine universæ prædictæ regiones commune sortitæ sunt vocabulum **CÉLTICÆ**. quod universis pariter, ac singulis à vetustissimis mortalium fuisse tributum, multis documentis, veterumque Auctorum gravissimorum testimoniis comprobatur, refert cit. Cluv. *d. lib. 1. c. 2.*

Et hoc exinde multum roborari existimat, quod dictis populis Illyriis, Germanis, Gallis, Britannis atque Hispanis una eademque fuerit lingua variis solum dialectis distincta, ut probare conatur *capp. seqq.* concludit tandem Laud. Author his verbis: *atque hac demum ratione prima gentis nostræ Germanicæ origo ex idoneis jam, satisque certis monumentis ad primum usque mortalium Adamum retro referri poterit. ADAM quippe filius SETH; hujus ENOS; hujus KENAN; hujus MAHALALEAL; hujus JERED; hujus HENOC; hujus METHUSALAH; hujus LAMECH; hujus NOACH; hujus JAPHET; hujus GOMOR; hujus ASCHE-NAZ, hic omnium CELTARUM pater, quorum pars maxima Germani.*

Num hæc Germanorum origo ex SS. Paginis deduci possit, ut se probasse, contendit Cluv. aliis discutiendum relinquimus. Certè Authori maximè, ut non diffitetur, obstat illud Jerem. *c. 51. v. 27.* Ibi de Babylone devastanda Propheta: *Levate signum in terra: clangite buccina in Gentibus, sanctificate super eam Gentes: annuntiate contra illam Regibus Ararat, Menni, & Ascenez: numerate contra eam Taphsar; adducite equum quasi bruchum aculeatum.* Quid hæc ad Europæ populos?

Nec illud verosimile videtur, Germanos convenas esse ex diversis populis. Sanè contrarium suadet tantâ morum & linguæ in hac Gente similitudo. Nec non ea, quæ ex Tacito *c. 2.* superius (§. 1. *Reflex. 2.*) retulimus. quò vid. 11.

II. Reflexio Hist.

- 11 Vix tamen quis inficias ibit, etiam Germanos, uti aliz Gen-
tes, habuisse successu temporis suos advenas: cui opinioni nec
Tacitus contrariatur, dum c. 42. de M. G. Marfignos, Burios,
Gothinos, Ofos ex linguæ discrepantia judicat, esse alienigenas
Ibi: *Nec minus valent retro Marfigni, Gothini, Osi, Burii: terga
Marcomanorum, Quadorumque claudunt: è quibus Marfigni, & Burii
sermone, cultuque Suevos referunt. Gothinos, Gallica, Ofos, Panno-
nica lingua coarguit, non esse Germanos.* Vel si contrariatur, ejus
rationes (parcant Nobilissimi Manes) non sunt adeò validæ, ut
hanc opinionem evertant. Solidè ad rem. Hert. loc. cit. §. 2.
„ Ut enim taceamus, inquit, Phœnices, & alios populos ab anti-
„ quissimis temporibus non modò mare Mediterraneum, sed &
„ Oceanum navigavisse, an non ex Asia, & Africa per mare Eu-
„ xinum, & Istri ostia facillimus ad Germaniam aditus est? an
„ non in eam terrestri itinere ex Sarmatia, Gallia, Italia transiri
„ potuit? Nec obstat, Germaniam priscis temporibus infor-
„ mem terris, & incultam fuisse: Nam experientia docuit, na-
„ turam solitudini nullam sui partem damnasse, nec eam esse
„ hominum modestiam, quæ vel infelicissimum solum quæstu
„ suo vacare patiatur. Pleraque certè inculta olim jacuisse, cre-
„ di par est, cum adhuc potiora sufficerent. Paulatim sua ho-
„ mines multitudo, & discordia longius projecit, terræque maria
„ & maria terras monstravere.

III. Reflexio Hist.

- 12 Non erit injucundum (quod tamen pro vero non vendi-
tamus) exhibere genealogiam Tuistonis, aliorumque Regum
Germaniæ. quam modo, ut sequitur, texuit Berofus. NOEMUS
etiam JANUS dictus inter alios filios, quos post diluvium ge-
nuit, habuit ex Vesta (aliis Terra, vel Titea) quam Deam pu-
tabant, & TUISTONEM Gigantem: hic in Europam missus,
ac Rex Sarchatiæ à fluvio Tanai usque ad Rhenum, patèrque
Germanorum factus MANNUM genuit. *Mannus Rex Sar-*
ma-

matarum (seu hodie Germanorum) genuit INGEVONEM: *Ingevon* ISTÆVONEM: *Istævon* HÆRMIONEM; hinc Germani, teste Tacito, de *M. G. c. 2.* INGÆVONES, ISTÆVONES, & HÆRMIONES nuncupati. *Hærmion* MARSUM, *Marsus* GAMBRIVIUM: *Gambriovius* SUEVUM: *Suevus* VANDALUM: *Vandalus* HUNNUM: *Hummus* HERCULEM, *Hercules* TEUTONEM, à quo Germani TEUTONES, & Germania TEUTONIA nomen traxit. Hæc ferè Berofus.

IV. Reflexio Critica.

Mira res! si Germani ex dictis tanta florent antiquitate, cur 13 ergo Romanis (idem de aliis Gentibus) usque ad Drusum, Juliùmque Cæsarem, ut Strabo testatur, fuit Gens incognita, ita quidem, ut nullus ex Græcorum Historiographis, qui ante Christum natum scripsêre, ut Herodotus, Gnidius, Calistones, Theopompus, Aristobulus, & alii, aliquam de Germanis mentionem faciat? Quinimo Ovidius de Druso canens Germaniam novum orbem appellat.

Et si quid miri vidit in orbe novo

Rhenus, & Alpina valles, & sanguine nigro,

Danubiûsque rapax.

Et modo Germano Romanis cognitus orbis.

Consulet ignoto victor Germanicus orbi.

Si vera sunt, quæ Tacitus *loc. mox superius cit.* scribit, causa in promptu est: vix ullus erat aliarû Nationum ad Germanos accessus: nec Germanorum, ut vult hic Author ad alias Gentes: Ipse, inquit, c. 4. *eorum opinioni accedo, qui Germaniæ populos nullis aliis aliarum Nationum connubiis infectos propriam, & sinceram, & tantum sui similem gentem existisse arbitrantur.* Accedit, quòd Germanicæ Nationis populi Barbarorum nomine, esto contumelioso, semetipsos appellitaverint, ut ex LL. Ostrogotorum, & Burgundionum satis, abundèque constat. Literarum pariter erant incurii. Idem Tacit. c. 19. *Litterarum secreta viri pariter, ac femine ignorant.* Has quippe primùm à Romanis acceperunt. Confer. Cæsar. de Bell. Gall. Lib. 4. c. 1. Idcirco eruditè advertit

tit Henr. de Cocceji in *Prolog. Jur. Publ. §. 1.* Germaniam olim rerum gestarum quidem, non scriptorum gloriâ claruisse. Siquidem suæ Gentis, seu ex Domesticis initio nullos, deinde rudes imperitósque scriptores nacta est. Inde fluit, quòd ex Germanorum veterum monumentis nihil extet, cui tutò hìc inniti possimus, deficiente apud illos literarum luce, unâ rerum gestarum fideli custode. Succinctè de hac re, sed disertè Tacit. *c. 2. Carmina antiqua UNUM*, ait, *apud illos, memoriæ, & Annalium GENUS est.*

Inter externos Græci valde exilem Germaniæ notitiam habuerunt; seram quidem, sed paulò ampliorem Romani, cum primis verò sæpius mem. Tacit. sub Vespasiano Galliæ Belgicæ rationum procurator. Plin. *lib. 7. c. 16. in fin.* ac postea, Trajano imperante, maximè florens. Sed de hoc satis! Imo non! Quid verba Taciti: *Ceterùm Germaniæ vocabulum RECENS & NUPER ADDITUM*: Quidquid sit de discrepantia ~~Erudito~~rum circa hunc textum, de qua consuli potest Cluv. *Germ. Ant. lib. 2. c. 20.* capias hoc respectu aliorum nominum, quibus antè efferebantur Germani, ut postea dicemus.

§. III.

Junguntur alia magis specifica.

14 **N**ON defunt, qui Germanos à Thogarma altero ex Gomer Japheti nepote derivant, argumento ducto à nominis similitudine non solùm, sed etiam quòd Paraphrastes Caldaeus demum Thogarma apud Ezechielem, explicet de provincia Germaniæ. Utrumque tamen argumentum satis est infirmum, maximè quòd Germaniæ nomen Taciti ætate fuerit recens. Judæi veteres Germaniæ incolas ex Chananæorum, Israëlitas fugientium, migratione ortos, dicunt. quibus adstipulatur Latzius, qui illud ex monumentis Hebræis propè Viennam è terra erutis demonstrare conatur, & Scheringamus; licèt hic quasdam saltem colonias, imò etiam ex Ægypto, & Africa in Germaniam ductas conjectetur. Alii veteres Germaniæ in-

co-

colas per Sarmatiam in Scandinaviam pervenisse, volunt, idque ex linguæ convenientia potissimum demonstrare conantur. Verum, licet dari possit, Gothos, atque veteres Scandinaviæ incolas deos, ritusque communes habuisse cum Germanis, contrarium tamen Conringius potius, & hoc autumat, Gothos ex Germania vi, aut necessitate in extremum Septentrionem, fuisse compulsos. Imo, facile credimus, neque Germanos à Gothis, nec hos à Germanis fuisse ortos; sed utrosque per diversas migrationes communem adeptos fuisse originem. Confer. mox laud. Conring. *de antiquiss. Stat. Helmstadii pag. 54.* ubi ex similibus oppidorum, vicorumque nominibus conjecturam planè contrariam depromit, atque, Gothos, priusquam Scandinaviam petierint, in Cis Balthica Germania, imo in his ipsis terrarum tractibus, quibus Helmestadium nostrum, & vicina illi oppida, ditionesque sita sunt, olim confedisse.

Fuerunt pariter etiam ex antiquioribus, qui Hunibaldum secuti, Germanos à Francis ducerent, hos verò ex equo Trojano ortos esse putarent, qui primùm Alannos à Mæotide palude expulerint, ibidem sedes ponentes: post à Valentiniano Imp. devicti, atque expulsi in Germaniam transiverint. Verum quàm futilis sit fides Hunibaldi, jam dudum demonstravit Struv. *diff. de doct. Impostorib. §. 6.* Hunibaldo quidem etiam contradicit Bodinus in Germanos aliàs non adeo æquus, Celtas tamen, per quos Gallos suos intelligit, coloniarum multitudine universam adimplevisse Europam, contendit. Hunc autem indulgentiã magis, quàm judicio usum fuisse vult, Cluverus *G. A. lib. 1. c. 2. & 3.* ejusdemque argumenta satis explodit, maximè, dum probat, sub Celtarum antiquo vocabulo comprehensas fuisse ingentes terras, Illyricum, Germaniam, Galliam, Hispaniam, Insulasque Britannicas. Id quod indubium esse, ait. Hert. *Not. Vet. Germ. pop. part. 1. c. 1. §. 1.*

Tradit igitur Bodinus homo Franco-Gallus Germanos à Gallis, Gallos à Græcis originem duxisse. PRIMUM argumentum itaque, quo Gallos à Græcis fuisse ortos, probare se posse confidit, est, quia innumera vocabula in Franco-Gallorum

nunc linguâ sunt Græca; à primis videlicet Gallicæ gentis conditoribus ex Græcia unâ secum in Galliam translata. Si hoc? cur non vernaculam retinere linguam Græcam, quemadmodum in Asiæ juxta, ac Europæ regionibus, longè latèque patentibus, item in Africæ maritimis locis factum esse, scimus? Quomodò præterea lingua Græca in primis Gallis ita abolita, ut pauca solùm vocabula postea superfuerint? Et demum unde nova illa lingua, à Græca profus diversa; quæ Gallica, & Celtica passim auctoribus appellatur? ALTERUM: *Celtarum appellatio ab Homero, ac Pindaro semper usurpatur pro equitibus: Galli autem equitatu omnium fuere præstantissimi, pergit ulterius: A veteribus Mauri laudantur, quod equitatu longè præstarent, & Hannibali de Romanis illustres victorias peperissent, præstantior tamen fuit Gallorum equitatus.* Confirmat exemplo, ex Hirtii, ac Plutarchi monumentis deducto. Hirtius, in Libro de bello Africo, *Accidit, inquit, res incredibilis, ut equites minùs XXX. Galli, Maurorum equitum duo millia fugarent.* Rem de bello Hispaniensi: *Quum magnâ manu parvas Cesarianorum copias Afranius aggredere; celeriter de Galli equites expediunt, & prælio commisso, magnum hostium numerum pauci sustinere.* Quinetiam, inquit Bodinus, *Plutarchus in Antonio scribit, Parthos non aliter coerceri, aut frangi potuisse, quàm Gallorum equitatu, quum exercitus Antonii undique premeretur.*

- 17 Ad primum quod attinet; magna heic certè XXX. equitum Gallorum virtus, atque præstantia, summis laudibus dignissima; verùm una hirundo haud facit ver: neque hoc factum Gallorum puto singulare: historias si scrupulis, veteres juxta, ac novas; par facinus fortè in alia quoque gente reperies: quam tamen, ob unum, alterumve tale exemplum, omnium totius terrarum orbis gentium præstantissimam haud rectè dixeris. In bello iterum Hispaniensi quòd fortes sese gesserint Galli equites, id parùm confirmat, Gallos omnium fuisse equitatu præstantissimos; duo quippe actus non faciunt habitum; neque hic pluralitas duorum numero contenta est. Multo sanè plura attulisse, oportuit Bodinum exempla, si rei tam magnæ, hætenusque inauditæ fidem nobis inculcare, imò obtrudere voluisset.

set. Illud Plutarchi ad Gallos, ut ostendit Cluv. *l. c. 3.* haud spectat; sed ad Germanos; quia Plutarchus equites istos *Καυαί* cum Appiano appellat, quo vocabulo Græcos Scriptores tam Germanos, quàm Gallos promiscuè vocitasse, receptum est. Intellexit itaque Plutarchus Germanos. Námque Batavorum equitum tanta fuit virtus, atque præstantia, ut, postquàm in Romanorum pervenerunt notitiam simul, atque amicitiam, perpetuò deinde Jul. Cæsar., Octav. Augustus, M. Antonius, & alii subsecuti Romanorum duces in exercitibus suis duxerint: Si testimoniis niti juvat, unum ex ipso Cæsare Bell. Gall. Lib. 2. afferimus: *Equites, inquit, Treveri, quorum inter Gallos virtutis opinio est singularis.* & Luculentius Lib. V. de iisdem Treveris: *Hæc civitas longè plurimum totius Galliæ equitatu valet.* En! Treveritius Galliæ equitatu longè præstantissimi. Hos autem non Gallos, sed origine fuisse Germanos, probat Cluv. *ubi supra* relativè, ostenditque ex Strabon. Lib. IV. *de Gallis*, hanc disciplinam equestrem ex Germania olim in Galliam pervenisse. Ibi: *Natura equidem omnes sunt pugnaces: equitatu tamen, quàm peditatu, meliores; & optimam equitatus sui partem Romani ab his habent, quò verò magis ad Septentrionem, & Oceanum vergunt, eò sunt bellicosiores.* Hæc de Treveris, ac Batavis, gentibus Germanicis, Galliæ solum incolentibus, intelligenda, firmat suo loco Cluv. Sanè, Germanos Gallis equitatu fuisse præstantiores, vel uni, post Batavos, indicio esse possunt Tencteri; de quibus Tacitus, *de M. G. c. 32.* ista deprædicat: *Tencteri, super solitum bellorum decus, equestri disciplina arte præcellunt. Sic instituere majores, posteri imitantur: hi lusus infantium, hæc juvenum æmulatio: perseverant senes. inter familiam, & penates, & jura successionum, equi traduntur. excipit filius, non, ut cætera, maximus natu; sed prout ferox bello, & melior.* Huc illud videtur spectare Herodiani, Lib. VIII. *de Maximo Imperatore.* Ibi: *Germanorum etiam equitum magnam multitudinem secum ducebat, quos præcipuè hostibus opponere solebat, ut primos impetus exciperent; feroces, audacesque initio pugne viri.*

Validissimum autem argumentum Bodinus (si Superis placet!) exinde emutuat, quia Cæsar, quum Gallos in tres ordines di-

tribueret, **DRUIDES, EQUITES, ET AGRICOLAS**; equitibus tribuit disciplinam militarem. Hoc sanè quantum equitatus Gallorum præstantiã probare possit, equidè haud parùm dubitare licet, per ea quæ tradit sæpius mem. Cluv. cit. c. 3. Sensus Cæsaris longè quid aliud indicat; dividit namque Galliarum populū in tria genera, quorum unum erat *Druidum*, alterū *Equitum*, tertium *Plebis*: equidem hic vocabulū *Equites* civile magis est, quàm militare; quemadmodum etiam populus Romanus in *Patritios, Equites, ac Plebem* distinctus fuit: nec aliter apud nos: *Der Geistliche; der Ritters Stand, und das gemeine Volk*. Sub equitum itaque vocabulo pedites quoque comprehendi, vix dubitari potest, alioquin omnem Gallorum militiam equitatu constituisse credendum foret, quod, quàm absurdum sit, nemo non videt. Urget argumentum Bodinus, quòd Cæsar *initio Lib. I.* Celtas eos propriè dici tradat, qui inter Sequanam & Garumnam continentur, qui à Latinis *Galli*, suã autem linguã *Celtæ* vocarentur, ab his verò omnes reliquos Celtas cùm in ipsa Gallia, tum postmodum in Hispania, Britannia, Germania, Italia, Græcia, & Asia, imò & Scythia ortos, affirmat cit. Author. Verùm num Cæsari hac in re plena fides adhibenda sit, liceat ambigere. Sanè Augustus Filius, meliori fortè edoctus experientia, Celtarum nomen unì tribuit Galliarum Braccatarum, id est Narbonensi provinciarum, ut Author est Strabo sub initium *Lib. IV.* ibi: *Hæc diximus de Gallis, qui Narbonensem provinciam incolunt; quos prisca Celtas adpellarunt. Ab his verò arbitror, & universos Gallos ab Græcis Celtas fuisse dictos, ob gentis claritatem: vel Massiliensibus, ob vicinitatem, aliquid momenti ad id conferentibus.* Hæc profectò haud temerè Strabo contra Cæsaris auctoritatem; nì certioribus niscus fuisset documentis, atque auctoritatibus! Quod si tamen Cæsari non omnem fidem circa Celtarum nomen abnegare placuerit, dari poterit, eos populos, qui Sequanam inter, ac Garumnam incoluerunt terras, solos ipsorum linguã vocatos fuisse Cæsaris ætate *Celtas*. At quid inde sequetur? ab his scilicet omnes cæteros Celtas, cùm in reliqua Gallia, tum in Hispania, Britannia, atque Germania, originem duxisse? Sanè argumentò haud satis fir-

firmò ! Qui plura circa hanc originem nimis, ut videtur, præsumptuosam, desiderat, consulat laud. Cluv. *locis supra cit.* Interim credendum potius, aliam Bodino homini docto, sagacis ingenii, ac in historiarum studio versatissimo fuisse mentem: Hæc tamen, veluti in laudem, atque gloriam patrii soli, non ex animi judicio, sed amoris indulgentiâ prodidisse, credimus. Interim priscos, primosque Gallos à Germanis fuisse ortos (quod imperiti, ineptique Nostratum nonnulli voluêre) poterat equidem bonis argumentis negare: Germanos verò à Gallis derivare, haud erat necessum. Vanæ sit gloriæ oportet, Germanorum originem Gallis vindicare velle. Hanc qui ad eadem cum Gallis cunabula traxerit, neque ipsorum gloriæ quidquam detracturum, neque nostræ Gentis laudi quid nimium se adrogaturum, tutò confidere potest. Quinimò, si ejusdem stirpis consanguineos, atque unius uteri fratres asseveraveris, majorem etiam (utinam sperari posset) inter utramque Gentem, amorem (absit mentis præoccupatio) excitabis.

Sunt præterea, quia Tacito omnino recedentes Germanos¹⁹ ex Asia in has regiones, & quidem per Scythiam migrasse, arbitrantur, ut exinde ab Asiæ populis, Scythis potissimum, oriundos esse existiment. Plures hujus sententiæ affectas recenset. Kirchmayr not. ad Tacit. pag. 13. Chron. Carionis Lib. 4. pag. 625. Ibi: *Valdè ergo consentaneum est, has Gentes primas, & vetustissimas sedes habuisse in Asia, indèque paulatim processisse in Europam, seu quòd peregrinationibus delectarentur inquieti naturâ, seu quòd terras quærent uberiores, & opulentiores, seu quòd à tergo urgerentur à barbaris gentibus multitudine infinitis, naturâ feris, linguâ diversis, quæ per vastissimas illas Orientis ad Boream solitudines assiduè vagantur, ac sedes subinde transferunt, migrationibus turbulentissimis, sicut ostendunt Tartarica in Asiam minore, & Europam irruptiones.*

Movet ulteriùs, quòd Germania à Græcis Scythia fuerit appellata. Strabo Lib. 11. pag. 507. Ibi: *Veteres Græcorum Scriptores universos Septentrionales Scytharum, & Celto-Scytharum nomine affecterunt. Idem confirmat p. 511. Plutarchus vita Marii p. 411. Cimbro, & Teutones Gallo-Scythas vocat, & Scythas Germanis mix-*

mixtos. Sic etiam Roxalanos inter Germanici generis populos refert Strabo *Lib. VII. pag. 306.* quos tamen Plinius *Lib. IV. C. XII.* inter Scythas numerat. Dicit etiam Aventinus *Lib. I. c. 5. Pars Germaniæ in consinio Austriæ, & Ungariæ Scythiæ nomen etiam nunc retinet.* Non minùs movet ulteriùs, quòd Grotius in *Prolegom. ad Scriptores Gotbic. pag. 18.* observet, *Scythicam linguam matricem esse Germanicæ, unius pars Suedica, ac Norvagicæ, multa sunt, quæ credi jubeant: primum ipsum Scytharum nomen, Sagittarios significans, quo illi armorum genere cæteris præstabant. Deinde Meotis palus à Scythis, qui accoluere, dicta Temerinda, id est maris finis. & Caucasus mons dictus ipsis à candore Graucasus, Plinio teste, quis hoc nos de ingenio comminisci putet? Hæc non videntur sufficere Werlhofio *Not. Imp. lib. 1. c. 2. §. 10.* ubi sic habet: „Et, quæ de Germanorum à Scythis ortu viri quidam doctissimi protulêre, itidem non tam verè probabilibus argumentis, aut scriptorum vetustissimorum, & quibus securè fidas, auctoritatibus, quàm meris ferè conjecturis constant, quibus enervandis, quæ opponas, non desunt.*

I. Reflexio Hist.

20 **S**anè vetustissimos Græcorum Celticæ vocabulo Galliam, Hispaniam, Britanniam, & præcipuè etiam Germaniam comprehendisse, præter superius dicta, extra dubium esse, ait Hertius ubi supra *c. 1. §. 1.* A Græcis quoque Scythiæ vocabulo appellatam Germaniam, Auctorem allegat Procopium. *Lib. 4. Gotbicum.* Unde fortè est, quòd Hungari, si Aventino credimus, Germanos Scythas, seu Scythulas nominare soliti fuerint. Hadrianus Valensis *notit. Galliar. voce Lugdunensis Gallia* fatetur, Germanos Transrhenanos sæpè à Græcis Celtas dictos, se reperisse. Verior ratio ab origine utriusque gentis populorum petitur. Sanè per Celtarum, & imprimis Gallorum crebra cum Italis, Romanisque bella, & commercia, hospitia, coloniásque apud hos, ex lingua Teutonica tot voces in Latinam migrâsse, crudité ostendit Joannes Ludovicus Præchius *de origine Germanica lingue Latina dissertatione.* Add. Cluver. *l. 1. G. A. c. 2. & 3.* latiùs. II.

II. Reflexio Hist.

Probabilissima est conjectura, quòd Græci in descriptione orbis, cùm singulos cujusque plagæ populos, eorúmque nomina sæpiùs nescirent, contenti fuerint omnes ejusdem plagæ uno communi nomine complecti, & ab insigniore, ac notiore reliquos omnes appellare : sc. Australes omnes, *ÆTHIOPE*s; Boreales, *SCYTHAS*; Orientales, *INDOS*; & sic Occidentales, *CELTAS*. Ita enim disertè Ephorus apud Strab. *lib. 1. Geogr.* ait, *Plagam Orientalem Indos habitare; Australem Æthiopes; Occidentalem Celtas; Borealem Scythas.* Et eod. *lib. 1. vers. Ταυράδα.* eandem, quam diximus, causam, scil. quòd singuli ignoti fuerint, affert : Græci, inquit, *utì cognitæ ad Boream gentes uno nomine Scythas dixère, Homerus Nomadas; tum verò ad occasum quoque cognitæ, Celta, seu Galli, & Iberi appellati sunt, singulis bis gentibus, quia non satis cognitæ essent, uno nomine comprehensis; ita & omnes Meridionales, Æthiopes.* Idem de Scythis ait Plin. *l. 1. Hist. c. 12.* Ita Herodotus bis refert, *Istrum* (qui in Germania oritur. Plin. *d. c. 12.*) *in Celtis oriri. l. 2. c. 45. & lib. 4. cap. 106.* Et Dion. *l. 53. vers. Κελτωπινας.* ait: *Celtarum nonnulli, quos Germanos vocamus, cùm omnem, quæ ad Rhenum est, Celticam occupassent, effecère &c.* Hæc tamen omnia commune saltem nomen, non unius populi ab altero originem probant.

III. Reflexio Critica.

Illud planè refellendum pluribus videtur, quòd, ut superius relatum, Germani à Thogarma ortum trahant. Vix hoc combinari poterit cum illo *Ezech. c. 27. c. 14.* ubi habetur, *quòd ex domo Thogarma equi, & equites, & muli Tyram urbem maritimam adducti sint.* Jam Germania procul dubio à Tyro longiùs distat, quàm ut mercatores ad nundinas ejus mulos adducere potuerint : nec unquam præterea Germania tam ferax mulorum, creditur, ut eorum greges in alias regiones præsertim adeò distantias agerentur. Hanc igitur traditionem refutat Cluver. *Lib. 1. c. 4.* Thogarma, scribit, supra Tauros, atque Moschos, vastas
Mag-

Magnæ Ruffiæ, five Moscoviæ, Litaviæque Australis obsedit silvas; gens ipsa dicta Turcæ: quos inter Mæotin paludem, & Caspium mare collocant, Herodotus *Lib. IV.* Plinius *Lib. VI. Cap. XX.* Paulò post quærit. Quis unquam Germanos terram Israëliticam invasisse legerit, aut fando acceperit? quis metuat, unquam invasuros, perpetuòque cum prædictis gentibus obsesuros ad consummationem usque mundi? quis credat Germaniam à Judæa versùs Septentriones esse positam? quum in Occidentem magis sit projecta. Quis item credat, Germanos mancipia, equos, ac mulos, Tyrum ad mercatum deduxisse? imò mulos quis unquam in Germania somniavit? quum etiam ii, qui ex calidioribus huc deferuntur terris, aëris frigiditatem haud facillè ferant. Germanos item equitatu, præ Sarmatis, ac Scythis, quis unquam laudavit? quum *pedum magis usus, ac pernicitate gavisos fuisse*, omnes unanimiter tradant, quotquot bella eorum, cum Romanis gesta, scriptò mandârunt. Imò de Germanorum equis ita narrat Cæsar. *Bell. Gall. lib. 6. Jumentis Germani importatis non utuntur. Sed, quæ sunt apud eos nata, parva, atque deformia, hæc quotidianâ exercitatione, summi, ut sint, laboris, efficiunt.* Et Tacitus *de M. G. c. 6. Equi non formâ, non velocitate conspicui: sed nec variare gyros, in morem nostrum, docentur.* Hinc etiam Grot. *Proleg. ad Scriptores hist. Goth. pag. 22. ait: Error quidem est, sed Judeis imputandus, qui in Caldæo Paraphraste locò Carmanin Germaniam (Hebræis nondum cognitam) scripsère.* Jungat. *Rhet. Inst. Jur. Publ. lib. 1. t. 2. §. 8. Ibi: Ex Divinis certè literis quomodo hoc deduci possit, non video, cum, quæ singulis Noë posteris provincie obtigerint, ille ne attingant quidem.* Ingens porrò inter Sacrorum monumentorum interpretes, scriptorésque de terrarum orbis partitione dissensio est, conjecturarum plurimum, expediti fortasse non multum. Volunt itaque, Interpretem Latinum, Talmudistarum autoritate seductum, nimis festinanter, aut inadvertenter Germaniam pro Carmania posuisse.

§. IV.

Refertur alia opinio.

NEc illorum opinio silentiô videtur involvenda, quòd, si²³ Romanis Scriptoribus certa de vetustioribus exterarum Gentium rebus fides habenda sit, Germania nostra, prævalentibus Gallorum viribus, per eorum Colonias trans Rhenum ductas notabiliter aucta fuerit. Tradunt enim, Bojos, quos Prisco Tarquinio Romæ regnante, id est annis circiter ante Christum natum sexcentis, in saltus Harzicos transmigrâsse, & à Marcomannis, Suevicâ natione, postea sede suâ Bojohæmo ejectos fertur, Gallicam, non Germanicam Gentem fuisse. Imò cum Helvetios, tum Gothinos ex Gallia advenisse, vult Tact. *de M. G. c. 28. 42. & seq. Liv. lib. 5. Hist. Cæsar. lib. 6. de Bell. Gallic. Cluv. l. 3. c. 3. & 30.*

1. Reflexio Hist.

De tempore hujus expulsionis, seu emigrationis disputant²⁴ Historiographi. Sub Augusto Cæsare id contigisse, tametsi pro gravissimo errore eam opinionem habeat Vorburgius, ad longè antiquiora tempora idem referendum, censens, haud absimile veritati videtur; cum Gallos illos, qui Hercynios saltus invaserunt, suo ævo adhuc priscis Hercyniæ silvæ sedibus se continuisse, liquidò affirmet Cæsar. *l. 6. de B. G.* quem ipsum Cæsaris locum Goldastus quoque, aut prætervidit, aut non attendit tradens, *l. 1. de jur. Regn. Boh. c. 4. n. 7.* Bojos cum Rege suo Critasiro pulsos, ac Bohemo exactos in vicinum agrum Noricum concessisse, ibique novum Regnum Bojaricum condidisse, adductâ his firmandis auctoritate etiam Cæsaris *ex lib. 1. de B. G.* Et enim transitum illum Bojorum in Noricum, cujus Cæsar. *l. 1. de B. G.* meminit, salvis adhuc Bojorum in Bojohæmo rebus, contigisse, ex collatione superioris loci, & *l. 6.* haud difficilè apparet; & in eo quoque hallucinatur laud. Auctor, quòd Critasirum, Bojorum Italicorum, qui ad Istrum commigraverant, Regem, Bojorum Bojohæmo expulsiorem Regem fuisse, confidenter as-

serat. vid. Strabo *Lib. 7.* Cluverius Bojos Bojohæmo pulsos in partem Vindelicæ ad Oenum fluvium transiisse, & ex ea postmodum circa Nabum amnem Bojoarios se diffudisse censet. *cap. 3. Vindelic. & Nor. pag. 727. & G. A. l. 3. cap. 30. pag. 616.* Sed, quæ de migratione in Vindeliciam ex Strabone colligit, eò, quò detorquet, minimè pertinere, apud Vorburgium. *t. 1. p. 218. f.* rectè monet Brunnerus, cùm non de Bojis Bojohæmo pulsis Strabo loquatur, sed de illis Bojis, qui Italiã eieci, circumjacentes Istro locos tenuère, à Getarum Rege Berebista, sive à Dacis ejusdem, sicut ipse refert, Strabonis ætate funditus deleti traduntur. Leges etiam à Cluverio sui quodammodo oblito, eadem ex Strab. annotata *Vindel. & Nor. c. 5. p. 740. f.* Cæterum utcunque tandem de Bojorum in Bojoariam commigratione res sese habeat, nomen huic terræ à Bojis inditum, & quasi Bojorum regionem Bojerland eandem dictam fuisse, ut post alios Goldasto quoque visum fuit, haud improbabile est. Hactenus Werlh. *Lib. 1. c. 2. §. 14. in not. lit. d.* Quæ habet Cluv. *Vindel. & Nor. c. 3. pag. m. 12.* ita sonant: „Postremi Vindelicæ, jamque „Oenum accolentes fuère alienigena gens Boji, in Augusti Cæsaris principatu, quum à Marcomannis, Maroboduo Duce, „ut Germaniæ *Lib. III Capitibus III. & XXX.* ostensum, Bojohæmo pellerentur, in has oras transgressi; quas in hanc usque diem clarissimo jam nomine obtinent, vulgò Bojaren, sive Bajaren, & contractè Bajren, Latinè verò loquentibus *Bavari* dicti., Sanè esto incertum sit, quinam primùm Germani terram Bojohæmicam incoluerint, dubitari tamen haud potest, ut inferiùs dabitur, Bojos illuc migrâsse.

II. Reflexio Critica.

25 His masculè se opponit jam supra laud. acutissimi vir ingenii Henr. Coccej in *Proleg. Jur. Publ. n. 16.* contenditque tum Helvetios, cùm Bojos, esto hos Livius, illos Cæsar, utrosque Tacitus *de M. G. c. 28.* Gallos dixerint, origine fuisse Germanos. Idque probare orditur *ibid. num. 9.* ex eo, quòd, ut superiùs monitum, vox Gallorum, seu Celtarum, & Germanis & Gal-

Gallis, quin & Hispanis, aliisque ad Oceaſum populis communis fuerit. Et, eſto Cluver. hoc tantum de voce *Geltarum* admittat, hoc etiam verificari de voce Gallorum, firmatur Cæſaris authoritate *Lib. 1. de B. G. impr.* ubi ait: *Qui ipſorum linguâ CELTÆ, noſtrâ GALLI appellantur*: Hinc Polybius his vocibus identidem promiſcuè utitur *Lib. 2. Hiſt. c. 18. 22. 23. 26. 30. 32. 33. & 35.* Hoc ipſum de Germanis, qui ad noſtrum ſpectant inſtitutum, roboratur ex Volater. *Geographia Lib. 3. in pr.* Ibi: *Gallos omnes & Germanos vocabulo Veteres, CELTAS, Romani GALLOS appellabant.* Diod. Sic. *Lib. 5. c. 37. Romani omnes has Gentes* (de Germania vicinisque uſque ad Scythas populis loquitur) *conjunctim unâ appellatione complexi ſunt, omnesque Gallos nominant.* Peucinos, ſeu Baſtarnas non fuiſſe Gallos conſtat ex Tacit. *c. 46.* & nihilominus nuncupantur Galli apud Plut. *in Æmil. Paul. c. 14.* Et ipſe Liv. *Lib. 42. c. 51.* Gallos in Perſei exercitu vocat, quos Baſtarnas fuiſſe, tradit mox cit Plut. *d. loc.* Imò ipſos Cimbroſ, & Teutones ex ultima Germania Gallos dicunt. Cic. *orat. de Prov. Conſ. c. 32.* Saluſt. *Bell. Jurg. c. 114.* Florus *lib. 3. c. 3.* Unde & Viterb. *chron. part. 12.* & Friſing. *chron. lib. 2. c. 44.* eos vocant *Gallos Teutonicos, & Cimbricum bellum, Gallicum.* At inter omnes conſtitit, fuiſſe Germanos, & Gallorum hoſtes, non Gallos. Plut. *in Mario c. 14.* Cæſ. *de B. G. l. 7. c. 14.* Paterc. *l. 2. Hiſt.* Ita Miles ad occidendum Marium miſſus *natione Gallus* dicitur Livio *epit. lib. 77.* & Appiano *in Celt.* qui tamen *natione Germanus & Cimbrico bello captus* fuit. Vell. Paterc. *Hiſt. lib. 2.* Val. Max. *l. 2. c. 10. n. 6.* Quin apertè Plutarchus eum promiſcuè nunc Cimbrum, nunc Gallum, dictum fuiſſe, teſtatur, *in Mario cap. 65.* *Eques, ait, Gallus genere, ſeu Cimber, (utrumque enim traditur) gladio ad eum ingreſſus eſt*: quæ proinde verba non dubium genus, ſed promiſcuum nominum uſum arguunt. Haecenus ferè mem. Coccej *ubi ſupra n. 14.* addens in fine: Et ſanè frivola, ac temeraria ſunt, quæ Cluverius *Ant. Germ. lib. 1. c. 10.* in re tam clara regerit, & arbitrio ſuo vim authoribus infert, lectionésque vel carpit, vel vitiat.

III. Reflexio Critica.

26 Turpissimi e contra erroris instar habet mox laud. Cluv. lib. 1. G. A. c. 10. Germanos Gallorum, vel Gallos Germanorum vocabulo fuisse appellatos: Id pluribus probare conatur argumentis. Quidquid autem hac de re dici possit, fraudi tamen priscorum Germanorum gloriæ esse non debet, si, quæ per illos fortiter æquè, ac magnificentissimè gesta sunt, ab exteris Scriptoribus Gallis attribuantur: Interim ex Tacito de M. G. indubium videtur, varios ex Gallica gente populos speciatim verò Bojos, quos Gallos dicit, in Germaniam transmigrâsse. verba Taciti c. 28. Ita habent: *Validiores olim Gallorum res fuisse, summus auctorum divus Julius tradit: eoque credibile est, etiam Gallos in Germaniam, transgressos. Quantulum enim amnis obstabat, quò minus, ut quæque gens evaluatorat, occuparet, permutaretque sedes promiscuas adhuc, & nullâ regnorum potentiâ divisas? Igitur inter Hercyniam silvam, Rhenumque, & Moenum amnes Helvetii; ulteriora Boji, Gallica utraque gens, tenuere. Manet adhuc Bojemi nomen, significatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus.* Huc pariter collimant, quæ tradit tum Liv. lib. 5. tum Cæsar de B. G. lib. 6. Ille: *Prisco Tarquinio Romæ regnante, Celtarum, quæ pars Gallia tertia est, penes Bituriges summa Imperii fuit. Ii Regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit; virtute fortunæque, cum suâ, tum publicâ præpollens: quòd in Imperio ejus Gallia adeò frugum hominumque fertilis fuit, ut abundans multitudo vix regi videretur posse. Hic magno natu ipse jam, exonerare prægravante turbâ regnum cupiens; Bellovesum, ac Sigovesum, sororis filios, impigros Juvenes, missurum se esse, in quas dei dedissent auguriis, sedes, ostendit. Quantum ipsi vellent, numerum hominum excirent; ne qua gens arcere advenientes posset. Tum Sigoveso sortibus dati Hercynii saltus.* Sigovesum deduxisse Bojos, exinde constare, ait Cluv. quia apud Paterculum lib. 11. Hercyniæ silvæ campi ab iis nomen (Böhaim) accepisse dicuntur, quod hoc discursu demonstrat sæpè mem. Cluv. c. 30. „Cæterum regionis Bojorum, Hercyniis saltibus incinctæ, nomen quod „attinet, haud dubiè id Germanis dictum fuit Der Bojer, sive „Bojen

„Bojen-haim, id est, Bojorum sedes, domicilium, seu patria;
 „& contractè das Bojhaim; unde hodiè que dicitur Böhaim, &
 „corruptè Bömen. Latini ex illo fecerunt, alii *Bojobæmum*; ùt
 „Paterculus habet *lib. 11.* alii *Bojemum*; ùt Tacitus, in dicto li-
 „bro de Germania: alii *Bojæmum*; ùt Stråbo *Lib. VII.* „Iste
 Cæsar nempe: *Fuit, inquit, antea tempus, quum Germanos Galli*
virtute superarent; & ultro bella inferrent; ac propter hominum mul-
titudinem, agrique inopiam, trans Rbenum colonias mitterent. Itaque
ea, quæ fertilissima sunt Germaniæ loca, circum Hercyniam Silvam,
quam Eratostheni, & quibusdam Græcis famâ notam esse video, quam
illi Orciniam appellant, Volcæ Tectosages occupârunt; atque ibi conse-
derunt. Quæ Gens ad hoc tempus iis sedibus se continet; summamque ha-
bet justitiæ, & bellicæ laudis opinionem. At de Bojis apud Cæf. ni-
 hil hîc video! Existimat Cluv. *ubi supra*, verba Cæsarîs in me-
 do cubare: Hoc nostras curas excedit. Tacito, & Livio adsti-
 pulatur Strabo *Lib. 7.* ubi ex Posidonii scriptis ita refert: *Ait,*
etiam Bojos quondam Hercinium saltum incoluisse: Cimbro autem (qui
inundatione Oceani peninsulâ suâ jam ante Aristotelis tempora
expulsi in omnem penè Europam se effudisse, dicuntur) cùm ad
hæc loca se contulissent, ab iis repulsos ad Istrum, & Scordiscos Gallos
descendisse. Bojostandem Maroboduus Marcomannorum Rex,
 teste Paterculo, & Strabone, quos citat, & explicat Cluv. *Lib. 1.*
c. 3. expulit. quod præcipuam Marcomannorum gloriam fuisse, in-
 mit Tacit. *c. 42.* in verbis: *Præcipua Marcomannorum gloria, vi-*
rësque, atque ipsa etiam sedes, pulsîs olim Bojis, virtuti parta. Ve-
 rùm de his satis.

SECTIO SECUNDA.

De Nominibus Germanorum.

JAm progredimur ad Nomina Germanorum, dum vel GER-
 MANI dicerentur, vel ALEMANNI vel TEUTONES.
 Præmittitur

§. I.

§. I.

De Nomine GERMANI.

I Germania olim in diversos populos erat divisa, qui non equidem (si paucos excipias) linguâ, & moribus adeò, sed nomine, finibus & regimine erant distincti, hinc universale nomen non habebant. Patet hoc quodammodo ex Tacito de *M. G. c. 2. Manno*, inquit, tres filios assignant: è quorum nominibus proximi Oceano Ingevoles, medii Herminones, ceteri Istevones vocentur. Quidam licentiâ vetustatis plures deo ortos, pluresque gentis appellationes, Marsos, Gambrivios, Suevos, Vandalios affirmant: eaque vera, & antiqua nomina. Sic etiam Germaniæ Gentes diversas olim habuisse appellationes, testatur Procopius *Lib. IV. p. 467.* omnes autem istæ ad Rhenum nationes suo quæque nomine censentur: at commune universis GERMANORUM vocabulum est. Hoc autem jam ante Cæsaris tempora invaluisse, constat ex *Fastis Capitolinis ad An. 531. MARCELLUS. COS. DE GALLEIS. INSUBRIBUS. ET GERMANEIS. K. MART. ISQUE. SPOLIA. OPTIMA RETTULIT. DUCE. HOSTIUM. VIRDOMARO. AD. CLASTIDIUM. INTERFECTO.* Inde Jo. Freinsheimius *supplem. Livianis Lib. XX. C. LV.* ait: *Hæc prima Germanorum in Historia Romana mentio, qui ex Transrhenanis gentibus mercede conducti, Virdomaro Duce in Italiam venerant.* Unde verò illud ortum, diversæ sunt sententiæ.

I. Reflexio Hist.

2 Kriegsmannus *conject. de Germ. Gent. orig. c. 29.* Germanos ducit ab Hebræa voce מן id est, *transgressus est de loco in peregrinum*: unde est *Ger. peregrinus.* Mannos verò demonstrare vult universos Teutones. Hinc Germanos nihil aliud fuisse, dicit, quam peregrinos, qui de suis regionibus in alias fuerint transgressi. Etymon hoc Germanici nominis quadrare, dicit ad verba Taciti, quibus ille populos è Germania in Galliam vi transgressos, nunc Tungros, nunc Germanos dictos asserit. Accedere, ait, quòd ob metum Germanorum vox hæc orta dicatur

tur Tacito, cùm radix $\Gamma\Gamma$ præter peregrinari, metuere etiam, & formidare significet.

Alii derivant, ab eorum, ut autumant, parente Thogarma 3
 quasi The-garma (est enim, ajunt apud Orientales arbitrar-
 rius ille punctus, sicut accidit in Thira secundum Aquilæ lectio-
 nem, quod in Thora mutavit Symmachus: deinde *Tau* lita-
 ra est adjectitia, propterea ab Hebræis Hemantica appellata) Hinc pergunt, manifestè relucet origo nominis Germanorum, rejectâ, ut contendunt, *Tau* adjectitiâ, & secundâ vocali sumptâ pro prima, ac si quis nostrate linguâ per articulum *tbe*, efferrat *tbe germanis*, id est *Germanis*, & respondet voci etymon aptissimum, & genti, quod est, *garam* sive *geram*, quod os significat, & metaphoricè robur, quòd ossa sit gens tota, & solidarum virium firmamento, ac robore prædita.

Trahunt alii, ut superius dictum (*Seç. 1. n. 23.*) & originem, 4
 & nomen à Carmanis Asiæ populis: Item nonnulli à germinando, ac si eadem essent stirpe geniti, *german* quippe, authore Festo est, quod ex arborum surculis nascitur. Quidam à *Gerren* id est, à cogendo milite. *Vorburgius Hist. Germ. tom. 1. pagin. 41.* Germanos vocari, ait quasi *Germeinos*, veluti, qui vincendo, & sternendo omnia sua facerent ex vocibus *Gar*, & *min* militari jactatione.

II. Reflexio Historica.

Aliam conjecturam subministrat Tacit. c. 2. in verbis, quæ 5
 jam superius retulimus, & hinc repetimus: *Ceterum Germanie vocabulum recens, & nuper additum: quoniam, qui primi Rhenum transgressi, Gallos expulerint, ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint. ita nationis nomen, non gentis evaluisse paulatim, ut omnes primum à victore ob metum, mox à se ipsis, invento nomine, GERMANI vocarentur.* Quibus ultimis verbis videtur innuere, Romanos gentium victores primum Teutonibus Rhenum transgressis ob virtutem militarem, quam in iis metuebant, imposuisse nomen *Guerrmänner*, & hos glorioso illo à Romanis ipsis usurpato nomine semet insignivisse. Siquidem *Guerra* vox antiqua bellum

D

de-

denotat, ita ut Germani idem sit, ac *Kriegs-Mann*. Unde etiamnum bellum Anglis, & Scotis *Warre*, Italis, & Hispanis *guera*, Francogallis *guerre* dicitur, & in Hassia alibique *Getwerre* tricas, & concertationes notat.

III. Reflexio Critico-Historica.

6. Circa locum Taciti mox adductum æquè, ac circa nomen *Germani* mirè variant, insudantque Eruditi. Auctorem imprimis (ut facit Livius) inculpant, quòd Germaniæ vocabulum *recens*, & *nuper* additum dicat, quasi id parùm ex fide; dum jam ante Cæsaris ævum hoc nomen illustre fuisse, ex ipsis Cæsaris Commentariis, ubi mox Galli, mox Germani nuncupantur, elucet. At res salva est: Tacitus non ratione sui sæculi, neque Cæsaris ævi, *nuper additum vocabulum* Germaniæ intellexit; sed ratione antiquorum nominum, quibus Germanos antea, inter se discretos, appellatos ait, ut *Marsos*, *Gambriovios*, *Suevos*, *Vandalios*. His igitur nominibus priscis nuperrimè, seu novissimè, *additum* (valeat jam illud Lipsii, Collierique AUDITUM) *vocabulum Germaniæ*. Pichenas ad eundem hunc locum commentans; *Ego*, inquit, *rectè scripsisse Tacitum puto; nec de suo ævo loqui: sed totum sermonem referre ad veteres illos Scriptores, qui carminibus antiquis olim annales composuerant, atque inter cætera tradiderant, Germaniæ vocabulum recens eo tempore fuisse.* Tacitus quippe haud facilè poterat ignorare, jam Cæsaris ævo extitisse nomen Germanorum; quando illius commentarios se legisse, haud obscurè innuit eodem volumine, his verbis: *Validiores olim Gallorum res fuisse, summus Auctorum divus Julius tradit.*

7. Emendari pariter cupiunt verba Taciti: *Ut omnes primùm à victore ob metum, mox à se ipsis* (omissà particulâ *Germani*) *invento nomine vocarentur.* Non abs re hunc locum malè se habere creditur. *Qui primi Rhenum transgressi sunt, Gallos expulerunt.* An non hi erant victores? An non hi erant Germani? Quid, vel quem ergo metuebant? A quo igitur victore nomen acceperunt? Quapropter Cluver. *ubi supra pro à victore substituit victores à victis, & locum hunc ita restituit: ut omnes primùm*

mum victores à victis ob metum, mox à se ipsis invento nomine (addit seu mutat) *Tungri* appellarentur. Ita, ut evadat sensus: omnes primùm victores à victis ob metum, mox à se ipsis invento nomine vocarentur. Id est: omnes primùm victores, quum Gallos expulissent, à victis Gallis invento nomine ob metum, quia hos victores metuebant victi, *GERMANI* sunt dicti. Dein verò, à se ipsis invento nomine, *TUNGRI*. Neque enim aliter exotica illa, ac barbara locutio Latinitati satis restitui poterit. Vocem *omnes*, si etiamnum ad universam Transrhenanam gentem referendam contendere velis, apertè reclamat Tacitus; omnes istos, qui primi Germani vocati sunt, nationem unam ex tota gente fuisse, affirmans, non universam gentem. Unde contendit Tacitus *Germanorum*, & postea specialiter *Tungrorum* nomen invaluisse: Nam si promiscuè, qui primi Rhenum transgressi sunt, nunc *Tungros*, nunc Germanos vocatos dicas, legi deberet: *ita nationis NOMINA non gentis evaluisse paulatim*, si enim utrumque nomen promiscuè, ut dictum, modò hoc, modò illud usurpatum fuerit, certè sequens oratio de utroque intelligi debet; aut sanè addenda vox aliqua, quæ alterutrum nomen ostendat, quod solùm paulatim evaluerit. Unum Germanorum nomen, non Tungrorum, in universam postea gentem Transrhenanam evaluisse, satis in aperto, atque confesso est: unum etiam Germanorum nomen priùs exstitisse, quàm Tungrorum, vel inde satis perspicuum videtur, quòd Cæsar, qui primus Romanorum has oras cum exercitu adiit, & copiosissimis populo Romano vulgavit commentariis, nusquam ne minimam quidem suspicionem de Tungris reliquit, quòd haud dubiè fecisset, si jam illo ævo id nomen tam celebre exstitisset.

Qui locum hunc Taciti intactum relinquunt, per victores intelligunt Romanos, ceu patet ex superius dictis. Hinc discrepant, quòd alii hoc nomen à Gallis, alii, inter quos est Strabo *Lib. 7.* à Romanis ortum volunt. Illi contendunt hoc nomen primùm fuisse uni ex populis cis Rhenum, qui postea *Tungri* dictus à voce *Guerra Guvera Suerre*, & *man*, quæ virum, notat, tributum; inde autem etiam apud Romanos in Tran-

rhenanam gentem transiit. In fatis fuisse putant, ut Gens nil in omni vita, nisi arma, bellaque spirans, etiam apud externos populos, orbis terrarum dominos, & acerrimos hostes suos, tam nobile, tam præclarum, tamque excelsum nomen adipisceretur; quo gratius ipsa, magisque cupitum, nullum unquam invenire potuisset.

9 Isti autumant Germanorum nomen latinum esse, atque idem notare, ac fratres: Strabo *Lib. VII.* ita refert: „Statim ergo trans Rhenum post Celticos populos Orientem versus sita loca, Germani incolunt, à Gallis parùm differentes, si feritatis, corporum, magnitudinis, & fulvi coloris excellentiam spectes. Sed & formâ, & moribus, & victu adsimiles sunt Gallorum, de quibus diximus. Itaque rectè mihi videntur Romani hoc nomen eis indidisse, cùm eos fratres esse Gallorum vellent ostendere. „

10 Sunt, qui veriùs existimant, inde hoc nomen venisse, quòd Germaniæ populi in migrationibus suis se fratres appellaverint. Hoc ex Plutarcho probant, qui de Cimbris ait, ad Marium legatos misisse, qui peterent, ut fratribus suis, per quos Teutones indigitabant, regionem quamdam concederet: Verba Plutarchi sunt: „Per Legatos à Mario sibi, *fratribusque* agrum, & oppida poposcerunt, quæ ad sedes suas ponendas essent satis. Percunctante Legatos Mario, de fratribus, quum Teutones illi nuncuparent, cæteri omnes risere. „ Invaluit itaque nationis nomen, ut illi populi, qui Rhenum primùm transierunt, se fratres appellarent, & nomen suum in præliis sæpius exclamarent, ut metum injicerent hostibus, omnes tanquam fratres sibi invicem esse in auxilio. Testatur hoc de Ambroni- bus Plutarchus in Mario *pag. 416.* Ibi: *Sive quo se mutuo cohortarentur, sive ut hostes nominis denuntiatione conterrerent, nomen suum intonabant identidem Ambrones.* Hoc Romani suâ linguâ efferentes, ipsos Germanos vocaverunt, ut indicarent, eos veros, atque genuinos inter se fratres esse. Nullo enim, vel Conringio *in not. ad hunc Taciti locum* teste, certò licet testimoniò ostendere, isthac appellatione Germanos ipsos suæ inter linguæ homi-

mines unquam usos. Sanè (pergunt hi Auctores, qui negant hoc nomen à nostra vernacula derivari posse) concedi nequit vocem *Mann* hìc esse Teutonicam: Si enim nomina, quæ à *Mann*, *vir*, descendunt, consideremus, omnia ista cum duplici *n* scribuntur, ut Marcomanni, Nordmanni, Alemanni. Imò, si vox Germanica originem suam haberet apud Teutones, cur saltem dialectò Romanò effertur? In dialectò Teutonico semper dicitur *Teutsch-land*, nisi quòd recentiori ævo quoque dicitur *Germanien*. Optimè hanc rem declarant, ajunt, verba Ægidii Tschudi in *epist. ad B. Rhenanum apud Scharidium Tom. 1. pagin. 303.* dum ait: *Tacitus non apertè dicit, neque interpretatus est, nomen Germaniæ esse Germanicum vocabulum, ut sit idem quod German, id est totus vir, cum alioquin Germanica vocabula verterit in linguam Latinam, qualia sunt brecht, herd, pfriem &c. Quare igitur & præcipuum vocabulum Germanicæ nationis non vertit in Latinam linguam, si est Germanicum? No'ata fuisset proinde in majoribus nostris magna ambitio, & præsumptio, si sese hoc ambitioso nomine reliquis nationibus prætulissent, denominassentque Germani. Adde & istud; vocabulum ipsum Germaniæ non sic omninò fuisset extinctum in Germania, si fuisset vox Germanica; potissimùm, cum fuerit summum, & præcipuum vocabulum hujus gentis, postea quàm particularium gentium nomina non sint apud vulgares homines obliterated, qualia sunt Frisii Friesen, Suevi Schwaben, Saxones Saxen, & alia quædam; & tamen populi isti solum membra fuerunt totius Germanicæ nationis, sed retinuerunt in vulgari lingua nomina sua antiqua, etiam cum illa nihil significent in Germanica lingua. Quid igitur accidit, ut interciderit Germaniæ nomen, si fuit compositum ex dictionibus Germanicæ significationis, nempe ex *GAR*, & *MANN*? Et nullus hodie in Germania invenitur populus, qui in ipsa Germanica lingua nomen retinuerit Germaniæ, sed solum apud Latinos invenitur, hanc nationem Germanicam vocatam. Quid igitur in tam ambigua opinionum varietate? Nostro namque sæculo (cum Cluv. *Lib. 2. c. 20.* loquimur) tot, tamque variz, & tam discrepantes inter se eadem de re, etiam à doctissimis hominibus proditz sunt sententiz, ut singulas enumera-*

re, articulatiſſimę convellere, Hercules etiam fugerit; temeritas idcirco foret, velle hic remſ decidere. Interim tamen

IV. Reflexio Critica.

- 11 Veluti derivationes, quas ſuperiùs (num. 2.) attulimus, haud verosimiles videri poſſunt; & quidem non illa ex vocibus hebraeis, cùm juxta Tacitum hoc nomen fuerit recens, & nuper additum, ſeu inventum, neque reliquar, utpote nimium remotè quaſitæ, ſeu derivatæ, ac, ut vult Cluv. ubi mox ſupra, dignæ potiùs, ut rideantur; ita credimus duas poſteriores veritati proximiùs accedere. Quænam verò illarum? Tu elige, & nobis pariter liberum arbitrium relinque.
- 12 Sanè nec recens cujuſdam doctiſſimi viri opinio aridet, qui Germanos à Gera Thuringiæ fluvio ſic dictos putat; cùm ſit inſolitum, à fluvio ignobili, qualis Gera eſt, integram nationem, vel populum appellari, imò, in Germania ne unicum quidem præſtò eſt exemplum, quòd à fluviis, etiam majoribus dicantur: *die Donaumänner, Rheinmänner, Elbmänner.*

§. II.

De aliis Germanorum Nominibus.

13 PRÆTER nomina, quibusefferebantur Germani, in Sectione priori hinc inderelata, fuiſſe pariter Tungros vocatos, vidimus ex mox dictis.

TUNGRI quippe, qui teſte Cluv. lib. 2. c. 20. antea quinque nominibus discreti Eburones, Condrusi, Segni, Cæræſi, & Pæmani, uno vocabulo cõmuni dicebantur Germani. Sed quænam prioris nominis ratio? Hubertus Thomas *Tract. de Tungris pag. 338.* Auctor eſt, plures gentes Rhenum tranſiſſe, inter quas Tungri fuerint, quibus applaudentes reliquæ, cõmuni ſe nomine appellârint. Verùm, cùm unius nationis vocabulum omnibus haud diutiùs placuiſſet, aliud ſibi nomen excogitârint. Quod autem Cæſar Tungrorum planè nullam faciat mentionem, hanc rationem ſubeſſe, putat, quòd Eburones horum

ſc.

sedes occupantes; ipsorum quoque nomen ad tempus obscuraverint.

Aliam rationem subnectunt alii, Tungros nempe aliis nationibus, quarum Cæsar in his sedibus mentionem facit, fuisse immixtos: scilicet, dum Cæsar dicit, Condrusos, Eburones, Cæræfos, Pærmanos, qui uno nomine Germani appellantur, intelligit istos populos, qui Rhenum transiverunt, & primò Tungri, post Germani fuerunt appellati. Tacet itaque nomen antiquius; dum recentioris faciat mentionem. Confirmat hoc Plutarchus in Mario pag. 411. illos, qui primùm Rhenū transeuntes Gallos expulerint, multa nomina peculiariter adeptos fuisse dicens. Juxta hanc itaque opinionem Tungrorum nomen antiquius esse oportet, quàm Germanorum, cui tamen Cluv. tum ex suprâ deductis, tum ex sequentibus contradicit: Esto enim fateatur, haud facillè dictu esse, quando id nomen assumpserint; existimat nihilominus, hoc inter M. Silani, & C. Norbani consulatum, atque Neronis excessum, quod ad quinquaginta ferè annos computat, contigisse, adeò ut intra hoc temporis spatium primorum Germanorum nomen in Tungrorum vocabulum mutatum fuerit: Concludit tandem, tunc mox memoratos quinque populos, nominibus propriis inter se hætenus discretos, novum sibi invenisse nomen, quò Augustus Imperator, novos illos novorum nominum colonos in partem finium suorum traductos, in unum coire corpus, ac civitatem, arctiùsque habitare juberet. Cùm enim Germanorum vocabulum iis non esset proprium, nec verum, sed à Gallis repertum, ab iisdemque, & Romanis usurpatum; jamque id in alias quoque ejusdem gentis Transrhenanæ nationes, adeoque in totam gentem transierit; novum sibi illud, anteaque inauditum nomen condiderunt, quò postea Tungri in universum perpetuò appellati sunt. Quidquid de tempore hujus nominis dici possit, hoc pro certo venditant, potissimam Tungrorum partem constituisse Atuaticos (Atuaca, seu Atuatuca quippe, quæ antea Eburonum, pariter, & Tungrorum caput dicitur) quos Cæsar de B. G. lib. 2. cap. 29. ex Cimbris Theutonibusque dicit esse prognatos.

Al-

15 Altera appellatio est ALEMANNORUM. De horum nomine rursus extant diversæ scriptorum sententiæ. Hadrianus Vales. not. Galliar. voce *Aleman* à Limago fluvio dictos putat: Alii à lacu Lemano, aut à Gentibus Alanis, quæ ex Sarmatia in Germaniam prædiisse creduntur. Ita Günth. Ligurino. lib. 3. vers. 305. ibi:

*Qua sibi vicinas Alemannia suscipit Alpes
Nomen ab Alpino ducens ut forma Lemanno.*

His tamen contradicit Gottofred. Viterbiensis Pantheo p. IX. pag. 224. his versibus:

*Rhenus ab antiquis describitur esse Lemannus,
Indèque nonnulli referunt dictos Alemannos.
Sed vox equivoca nomina falsa parat.*

Illud ego nomen, alia video ratione

*Quidquid prisca sonent, quod sentio, litera promet
Lector abhinc capiat; quæ magis apta sonent.*

*Alle, sonat totum. Man vir, si Teutona lingua
Hæc duo conjungat, totum vir litera signat.*

L geminata, satis nomina clara facit.

16 Alii Berosum secuti, Alemannos ab Hercule Alemanno ducunt, vel à Deo gentis Manno, vel à Tuistonis filio, Alemanno, vel quasi alle Männer, omnes viros esse, quò similiter collimant mox allegati versus. Item alii ab Altmania. Verùm hoc nomen fictum existimat Walafrius Strabo *de Vita B. Galli lib. 1. pag. 142.* ubi sic ait: „Inveni ab Auctore ejusdem con-
„scriptionis terram, quam nos Alemanni vel Suevi incolimus,
„Altmaniam sæpiùs nominari. Sed ipsius nominis originem
„quærens apud nullum scriptorum, quorum adhuc notitia nos
„resperdit, ejus reperi mentionem. Nisi fallor enim, ab alto
„situ provinciæ idem vocabulum à modernis confictum est. „
Haud ita pridem Junckerus Alemannos ab Almona, hodie Altmuhl, Nordgovix fluvio deducit, qui Althamero, Ortelio, aliisque dicitur Alemanus. Verùm, etsi fluvius iste antiquis Alemanus dicatur, de quo tamen dubitamus, dum Annales eum vocent Almonam, potiùs tamen, prout Suevus à Suevis, sic Ale-

Alemannus ab Alemannis nomen habet. Imò, vix reperiuntur exempla, ut superius monitum, quòd à fluviis, ignobilioribus præcipuè, populi fuerint appellati. Quid, quòd Alemogna olim potiùs Franciæ, quàm Sueviæ fluvius habita fuerit?

Satis congrua est doctissimi Schilteri *Exercit. ad Pand. IV. 17 §. 13.* conjectura, dum Alemannos dicit, possedisse publicos fundos, agros, sylvas, & lacus, qui communi omnium usui erant destinati, ita, ut agri pro numero cultorum ab universis per vices occuparentur, quod apud Germanos aliàs non adèd infrequens, ceu colligi potest ex Tacito. c. 26. ubi sic ait: *Agri pro numero cultorum ab universis per vices occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur. Facilitatem partiendi, camporum spatia præstant. Arva per annos mutant, & superest ager. Nec enim cum ubertate, & amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conferant, & prata separent, & hortos rigent. Sola terra seges imperatur. Hoc autem Antiquis dicebatur Allmennig. Hinc etiam pascua communia vocantur Allmende.*

Cùm tamen hæc Gothis magis fuerint communia, quàm Alemannis, potiùs ab origine sua, sive turba collectitia Gallorum, Suevorumque, qui à mari Balthico huc delati, orti videntur, dum convenæ, atque undique mixti scriptoribus dicuntur, quasi allerley Mann. Huc collimant, quæ habet Agathias lib. 1. *Hist. c. 7. Alemanni, si Asinio Quadrato fides, viro Italò, & Germanicarum rerum exacto Scriptori, communes sunt variis è nationibus collecti, id ipsum apud eos consignificante vocabulo.* Hinc credibile est, exigua primùm eos habuisse initia, cùm digressis ab Rheno Marcomannis, atque sociis vacuefactam regionem Galli potissimùm occupaverint, quos Tacitus dicit decumates agros exercere. Ait c. 29. *Non numeraverim inter Germaniæ populos, quamquam trans Rhenum Danubiùmque confederint, eos qui Decumates agros exercent. Levissimus quisque Gallorum, & inopia audax dubiæ possessionis solum occupavere. Mox limite acuto, promotisque præfidiis, sinus Imperii, & pars provinciæ habentur.* Assignat enim iisdem veras Alemannorum sedes inter Rhenum, Moenum, Danubiùmque. Hunc locum de Alemannis pariter intelligit Cluv. Lib. 3.

E

cap. 4.

cap. 4. Porrò rubricam hujus capituli ita format. *De Gallis decumanos agros inter Rhenum, Danubiumque exercentibus, qui ALEMANNI, seu ALAMANI dicti.* Postmodum in nigro ita pergit: *Profectis à Rheni ripa in Bojohæmum Marcomannis, Harudibus, atque Sedusiis; in vacuos cultoribus agros successerunt Rhenum transgressi Gallorum quidam &c.*

- 19 Exinde jam liquet, tum nominis, cum originis derivationem esse oppidò ambiguum. Alemannici cognomentum, scribit Cluv. *loc. mox cit.* jam Antoninum Caracallam usurpasse, legitur apud Spartianum: videlicet quia is Alemannos devicerat. De hac gente, ejusque cum Romanis bellis, multa posteriores rerum Scriptores prodiderunt, maximè verò omnium Ammianus Marcellinus, in suis historiis passim. Ex quibus ipsi jam dudum à plerisque veterum historiarum interpretibus notatum est, gentem eam inter Danubium, Rhenum, ac Mœnum amnes incoluisse. Eisdem igitur quum ALEMANNI trans Rhenum incoluerint fines, quos Galli, decumates agros Taciti ævo exercentes, unam eandemque utrosque fuisse gentem, suspicari liceat: Nam inter Taciti ævum, & Antonini Caracallæ Imperium centum circiter intercedunt anni, quo temporis spatium, nullæ hæc incolarum mutationes à rerum Scriptoribus notantur. Alemannos non fuisse origine Germanos, satis apertè veteres Auctores indicant. Id quod confirmat Stephanus, qui Lexicon geographicum ex variis antiquis Auctoribus compilavit, ita ajens: *Alemanni gens est Germanis finitima.* Et Flavius Vopisc. *in vita Probi: Testes Germani, & Alemanni longè à Rheni submoti littoribus.* Item Eustathius in Dionysium Alexandrinum: *Germanos, quibus Alemanni sunt contermini, candidas Gentes esse, ait.* Conjectura Cluveri est, tempore, quo Marcomanni in Bojohæmum migrarunt, Gallos quosdam eorum sedes occupasse, fuisseque ex variorum hominum colluvie magis, magisque auctos, & ita nomen istud annis circiter ante Nativitatem Christi Domini XV. invaluisse: Posterioribus autem sæculis, obscuratà eorum origine, pro Germanis fuisse habitos, existimat. Unde promanare vult ea, quæ Xiphilinus ex Dionys. *Lib. 77. de*
su-

supradicto Antonino Caracalla memoriæ reliquit, dum ait: *Bel- lum quoque adversus quosdam Gennos (fuisse quidam Germaniæ In- colæ, seu Alemanni creduntur) gentem Celticam, quos ferunt tan- tâ irâ incitatos in Romanos irruisse, ut tela, quibus ab Osroënis vul- nerati erant, dentibus evellerent è corporibus; ne interea manus à ce- dendis Romanis averterent. Quin etiam nomine victoriæ grandi ei ven- dito pecuniâ, ut salvus in Germaniam sese reciperet, permisissent. Va- riis quippe Alemannos fuisse fatis exagitados legitur.*

Post Caracallam (sive vera sive ficta ejus victoria fuerit)²⁰ eosdem devicit Proculus Tyrannus: Hinc Aurelianus Impera- tor: Inde Constantius Chlorus, Cæsar pariter apud Bingenas, cæsis Alemannorum sexaginta millibus, debellavit: Constan- tius Junior Istis primùm pacem dedit; Paulò post & Lentien- sibus Alemannicis pagis tractibus Rhætiarum vicinis bellum in- dictum est, & à Juliano Cæsare illorum exercitus propè Argen- tarium deletus traditur. Reparatis tamen viribus, Romanos iterum adgressi, primùm à Jovino Magistro Equitum per Gal- lias, postmodùm à Valentiano, & Gratiano Imp. apud Argen- tariam, cæsis triginta militum millibus, rursus devicti, & de- mum à Clodovæo, Francorum Rege, anno 496. ad Tolbiacum subacti dicuntur. Cui pruriunt dentes, adire poterit. Vopisc. *in vita Proculi c. 13. Zosim. Lib. 1. c. 49. & Lib. 3. c. 3. Lib. 27. c. 1. 2. & 10. Lib. 31. c. 10. Eutrop. Lib. 9. c. 15.* Huc faciunt vers. Guil. Brit. Philipp. I. 147.

- - - Francus ab illis

Finibus egressus, valida sibi mente subegit

Germanos cum Theutonicis, nec non Alemannos,

Tungros cum Belgis, Saxones cum Lotbaringis.

Unde apparet, quòd esto Alemanni partem saltem consti-²¹ tuerent Germaniæ; ita ut etiam in titulis Imp. sæpiùs distin- guerentur, haud rarò tamen vel ipsi Germani vocabantur, vel etiam sub Alemannorum nomine, cùm essent reliquis poten- tiores, omnes intelligebantur Germani, quod ab exteris, Ita- lis potissimùm factum legimus. Ita Arnobius *Lib. 1. Alemannos Scy- thas idcirco voluerunt divinci, quòd habitarent, & degerent in eorum*

gentibus Christiani. Sic etiam Monachus, Erphesfordiensis *Hist. Landgrav. Thur. c. VI.* notat, quod partes viciniore Italici, sicut sunt Bavaria, Suevia, dictæ fuerint, ab Italicis primò Alemânia, & homines dicebantur Alemanni. Advertit etiam Orosius & Serinus, tunc temporis Germaniam & Alemanniam promiscuè fuisse appellatam; Nam Ungaria dicebatur Pannonia, & ab Ungaria usque Rhenum dicebatur Germania, vel Alemânia, & ultra Rhenum Gallia. Hanc nihilominus promiscuam appellationem per errorem fuisse factam innuit Otto Frisingensis, *de geffis Frider. Barbar. Lib. 1. c. 8.* Ibi: *A predicato etiam Lemanno suvio tota illa Provincia Alemannia vocatur. Quare quidam totam Teutonium terram Alemanniam dictam putant, omnesque Teutonicos Alemannos vocare solent, cum illa tantum Provincia, id est Suevia, à Lemanno suvio vocetur Alemannia, populique eam inhabitantes solummodò vocentur Alemanni.* Idipsum roboratur ex iis, quæ tradunt Gregorius Turonensis *Lib. 1. c. 11.* *Vandalos secuti Suevi, id est, Alemanni Galliciam apprehendunt.* Paulus Warnefridus *Lib. 11. cap. XV.* *Inter banc (Liguriam) & Suaviam, hoc est, Alemannorum patriam, quæ versus Septentrionem est posita, duæ provincie, id est, Rbetia prima, & Rbetia secunda inter alpes constituunt, & Lib. 111. cap. XVIII.* *Iste ex Suavorum, hoc est Alemannorum gente oriundus.* Clariùs hæc explicat Walafridus Strabo *de vita B. Galli Lib. 1. p. 143.* „Antiquorum vocabulorum veritate servatâ, ab incolis nomen patriæ derivamus, & Alemanniam, vel „Sueviam nominamus. Nam, cum duo sint vocabula, unam „gentem significantia, priori nomine nos appellant circumpro- „sitæ gentes, quæ latinum habent sermonem, sequenti usus nos „nuncupat Barbarorum. „ Hoc ipso innuit, Alemanniam fuisse dictam à gentibus, quibus latinus sermo erat in usu, Sueviam à Barbaris, & quidem forsân à voce *Schwoeben drvagari*, quia hinc inde divagarentur. Hinc communis fama, Alemannos unâ cum Francis, Bojis, Saxonibus, Lotharingis inter quinque Germaniæ populos fuisse numeratos, atque proprium Ducatum factum, cujus caput erat Argentina.

Ad tertium nomen progredimur TEUTONES seu potius TEUTONOS, ut appellantur à Cæsare de B. G. I. cap. 33. Ad hunc locum legitur in marmoreo fragmento ex Quirinali & ædibus Pomponianis translatis, teste Fulvio Ursino: *TEUTONORUM EXERCITUM CIMBROS FUGAVIT.* Itaque quoque eos appellat Florus, & Pomponius Mela *Lib. III. c. III.* Plutarchus verò & Eutropius eos vocant *TEUTONES.* Nomen quidem erat antiquissimum, verum non universæ Genti, sed singulari saltem nationi (Danicæ) adscriptum. Scilicet, Teutoni hi dicebantur, qui cum Cimbris, societate contractâ, in Italiam irruerant. Cimbris finitimos in Insulis sinûs Codani facit Pomponius Mela. Plutarchus utrosque vult esse Germanos ad Septentrionalem Oceanum sitos, eosque unâ cum Cimbris immanem vim gentium Germanarum vocat Vellejus Paterculus. Italiam ingressos ad Aquas Sextas gemino prælio à C. Mario devictos, tradunt Plutarchus in *Mario pag. 411.* & Vellejus Paterculus *lib. 2. c. 12.* Horum postea nomen universæ Germaniæ commune factum mansit, ita, ut mediâ ætate dicerentur vel *Teutonici*, vel *Theotisci*, die *Teutschen.*

At unde reverà sic dicti? Variant rursus Eruditi. Joannes²³ Freinsheim *suppl. liv. lib. 60. c. 21.* suspicatur, Borealium fortè regionum incolas proximæ sibi civitatis Teutonum nomen genti universæ imposuisse. Jo. Aventinus in *Nomenclatura Annal. Bojic.* à Tuistone Gentis conditore ducit. Cluv. *Lib. 1. c. 9.* Latiùs demonstrare conatur, Theotiscos dictos fuisse à Mercurio Occidentalibus Theut, quem maximè coluisse Germanos refert. Hic itaque *loc. cit. pag. 80.* ita discurrit: „ Germanorum nomen „ fuit, teste Tacito, seriùs inventum: Antiquum igitur, verum, „ atque genuinum gentis nomen fuit aliud quoddam. Id verò „ fuisse idem, quo in hanc usque diem, pro varia dialectorum „ ratione, inferioribus Germanis, Gallo-Franciæ proximis, dicuntur de Duytschen, ulterioribus, quos communi nunc vocabulo Saxones nuncupamus, de *Düdschen* & *Diüdschen*, superioribus *die Deutschen*, & *Teutschen*, Septentrionalibus verò de *Tydsker*; colligere datur ex vocabulo *Tuisto*: Istud quippe no-

„men Teutsch, unà cum gentis origine, à deo suo Tuistone se-
 „se accepisse, ex antiquis haud dubiè credebant carminibus Ger-
 „mani isti Taciti ævo. „ Revid. superiùs (*Set. I. §. I.*) dicta. Alii
 volunt hoc nomen derivandum à Teutone Nobili quodam viro,
 seu, ut autumant, omninò Rege ita nuncupato, qui genti cuiquã
 Cimbris conterminæ (Dani modò sunt) imperitasse volunt.

I. Reflexio Critica.

24 Haud faciliè persuaderi quis poterit, cur ab una hac natio-
 ne tunc nec magna, nec adedò valida, quam olim tantùm Dani-
 cas tenuisse insulas, probat Cluv. *lib. 3. c. 40.* vastissima Europæ
 Gens denominata fuerit? Antiquissima quippe, ceu probat
 idem Auctor *loc. mox cit.* esse debet Teutonum Gens, de qua
 præter Aristotelem ferè integro antea sæculo jam Pytheas CCL.
 annis ante Christum natum mentionem facit. Tanta scilicet est
 Gentis Teutonicæ antiquitas, tanta armorum, virtutisque bel-
 licæ per exteras terras jam inde ab vetustissimis temporibus
 claritas.

II. Reflexio Hist.

25 Jam superiùs *loc. cit.* opinionem, TEUTO à Theut (quis-
 quis ille fuerit) cum lingua Theodisca, seu Italis Tedesca sum-
 psisse nomen vix non adoptavimus. Nec poenitet. Porrò Ger-
 manorum lingua media ætate, vel Germanica, vel Teutonica,
 vel Theotisca dicebatur. Illud probat Servatus Lupus *Epist. 91.*
Ibi : Filium Guagonis nepotem meum, vestrúmque propinquum, & cum
eo duos alios puerulos nobiles, & quandoque si Deus vult, nostro mo-
nasterio suo servitio profuturos, propter Germanicæ linguæ nanciscen-
dam scientiam vestræ sanctitati mittere cupio. Istud ostendunt ea, quæ
 habet Jacobus Regiovillanus *Chron. lat. Ms. f. 67.* apud Schilte-
 rum epinicio Ludovici p. 26. *Illi (venatores Regis Novientum*
spoliantes) ut Gallorum mos est, Theutonicam linguam subsannantes
cum derisione eos (monachos Teutonicos) de conspectu suo abege-
runt, at illi Ecclesiam suam ingressi, repulsam suam Domino, & B. Pe-
tro commendabant. Otto Frising. *de G. Friderici I. Lib. I. c. XXXII.*
 Men-

Mentio etiam habetur linguæ Theodiscæ in Capitulari Wormatiensi Ludovici Pii *de Ann. 829. c. 13.* In conventu apud Argentoratum *an. 842. apud Balutzium Tom. II. p. 39. & 142. Capit. Caroli Calvi Tit. XIV. cap. 3.* In adnuntiatione Ludovici Regis apud Confluentem *an. 860. Lib. II. p. 63.* Nec erit prætereundum, hanc linguam Barbaram fuisse vocatam. Walafridus Strabo *Lib. VII. de reb. Eccles.* in verbis: *Secundum nostram barbariem, quæ est Teotisca.* Trithemius *in Catal. Vir. Illustr. in Otfrido: Otfridus ex eo volumine, quo Carolus Imperator, quondam Magnus, barbariem Teutonice nostræ linguæ ad regulas inchoavit reducere grammaticales.* Sidonius Apollinaris Siagrius suo *Lib. V. ep. V.* postquam dixerat, sermonis Germanici notitiam ipsum tanta facilitate rapuisse, addit: *Æstimari minimè potest, quanto mihi, ceterisque sit risui, quoties audito, quod te presente formidet facere linguæ suæ barbarus barbarismum.* De B. Gallo dicit Walafridus Strabo *Lib. I. c. VI.* *Hanc à Domino gratiam meruit, ut non solum latine, sed etiam barbarice locutionis cognitionem non parvam haberet, id est, Alemannicæ.* Sic etiam Poëta Anonymus *de gestis Caroli M. Lib. IV. 317.*

- - - *Tempus transegit in aula.*

Nomen Heristalli dederat cui barbara lingua.

Hinc pariter Germani Barbari dicebantur, quapropter Walafridus Strabo *de vita Galli lib. 1. prol.* per Barbaros Germanos intelligit. Ita Eginhardus *in præfatione Historiæ Caroli M. p. 8.* se vocat hominem barbarum, & in Romana locutione perparum exercitatum. Hinc Carolus Magnus, ut refert Trithem. *Chron. Hirsaugiens.* ad an. 863. *in omni littera studiosissimus, dolens linguam nostram Teutonicam, in qua natus erat, barbaram, & sine decore contemni ab Italis, & Græcis, sibi persuasit ad regulas eam posse reduci grammaticales.* Inde provenisse ajunt, quòd Germani, qui lingua ista utebantur, dicti fuerint Theotisci. quod sua dialecto proferentes *die Teudischen, sive Diutischen, aut voce postmodum contractâ die Teutschen sese appellabant.*

III. Reflexio Historico-Critica.

Si quæras curiosius, quando id factum? Dictu erit difficili-
le:

le: Tradunt hoc demum nomen fuisse ortum, cùm à Francia separati proprium sibi Regnum constituerunt Germani. Quod hoc discursu evincere conantur.: Taciti ætate communis omnium appellatio erat Germani. Horum pars, cùm in foedus commune coalescerent, atque libertatem suam tuerentur contra Romanos, dicti postea fuerunt Franci. Inde desit ex parte commune Germanorum nomen, dum potentiores in Germania gentes essent Franci, Alemanni, Boji, Thuringi, Saxones. Memorantur hi quinque populi in *Annal. Franc. Fuldensibus ad an. 887.* ubi de Arnulphi depositione in verbis: *Ab illo ergo die male in initio consilio, Franci, & more solito Saxones, & Duringi, quibusdam Bajovariorum primoribus, & Alemannorum admixtis, cogitaverunt deficere à fidelitate Imperatoris.* Addatur Otto Frising. *Lib. 1. c. 11.* Struv. *Corp. Jur. Publ. c. 3. §. 2.* Ibi: *Francorum nomen Valeriani, & Gallieni temporibus primum fuit auditum.* Romanis postea à Francis devictis, omnis Germania divisa fuit in Francos, & Saxones; hinc orta divisio juris Francici & Saxonici. Laud. Struv. *ubi supra cap. 5. §. 1.* Adeò ut divisio hæc exinde suborta videatur, dum Franci jam ante Caroli M. tempora omnem sibi, Saxonibus exceptis, subjugarunt Germaniam. Ipsa Francia verò dividebatur in Occidentalem, atque Orientalem, sive, quod idem erat, regnum Neustriæ & Austriæ, *Ostereich, & Westenreich*, seu *Neustrasæ, & Austria* forsan, ut ait Werlhof. *Lib. 1. c. 2. §. 90.* germanicè *Destereich, und Westereich.* vid. Conring. *de O. J. G. c. 8.* Occidentalis Francia sub se comprehendebat regnum Franciæ propriè sic dictum. Sub Orientali verò Francia comprehendebatur, quidquid Franci in Germania possidebant, & dum in dies fines suos extenderent Franci, usque dum universam Germaniam occuparent, inde sub Orientali Francia comprehendebatur omnis Germania. Hæc verò, postquam sub Ludovico Germanico proprium regnum factum, à Francico distinctum, vel regnum Franciæ Orientalis, vel Teutonicum coepit appellari.

27 Hæc, quæ dicta sunt, demonstrat Otto Frising. *Lib. 6. c. 17.*

„Denique, ait, ut in superioribus patet, tempore Caroli, regi-
ni

„ni Francorum tota Gallia, id est, Celtica, Belgica, Lugdunen-
 „sis, omnisque Germania, à Rheno scilicet usque ad Illyri-
 „cum, terminus fuit. Dehinc diviso inter filiorum filios regno,
 „aliud Orientale, aliud Occidentale, utrumque tamen Franco-
 „rum dicebatur regnum: In Orientali ergo, quod Teutonia-
 „corum dicitur, deficiente Caroli stirpe, primus, manente ad-
 „huc in Occidentali Francia ex successoribus Caroli, Carolo ex
 „gente Saxonum, successit Henricus. Cujus filius Otto, qui
 „etiam Imperium à Longobardis usurpatum deduxit ad Teu-
 „tonicos Orientales Francos, forsan dictus est primus Rex Teu-
 „tonicorum, non, quòd primus apud Teutonicos regnaverit,
 „sed quòd primus post eos, qui à Carolo Carolingi, sicut à
 „Meroveo, Merovingi dicti sunt, ex alio, id est, Saxonum san-
 „guine natus, imperium ad Teutonicos Francos revocaverit.
 „Imò Orientalem Franciam, & Regnum Teutonicum unum,
 idemque, esse probat idem Otto Frisingensis *Lib. VI. c. XI.* dum
 ait: *Porro Arnolfus totam Orientalem Franciam (quæ modò Teutoni-
 cum regnum vocatur) id est, Bojoariam, Sueviam, Saxoniam, Thu-
 ringiam, Frisiam, Lotharingiam rexerit.*

At qui ista subsistent cum iis, quæ mox (*Rest. I.*) retulimus?
 Vix! Nisi dicere velis, Nomen *Teutonum* longè præcessisse *Reg-
 num Teutoniæ*, quod primùm, factis his divisionibus, in Regni am-
 plitudinem, unitatèmq; erectum dicitur.

A P P E N D I X

De Origine Reipublicæ Salisburgensis.

SI turpe est ignorare initia nationis, cujus nomen gerimus,²⁸
 & profiteremur, turpiùs erit originem patriæ, in qua nati,
 aut educati sumus, nescire; hinc temperare nobis haud
 possumus, quin aliqua de ortu populi Salisburgensis addamus.

Originem nostræ Reipublicæ ita orditur Illustr. D. Franc.
 Dücker ab Haslau in Winckl *in sua Chron. Salzburg.* quam An.
 M. DC. LXVI. nostrâ vernaculâ in lucem dedit,

F

Ann.

Ann. M. 1812. vel juxta alios 1788. à Diluvio 155. aut 121. annis Tuisco Gomeri filius Japeti nepos; adeoque Noëmi pronepos 30. Heroibus, aliisque stipatus gentibus ex Armenia in Europam se contulit, primusque Germanorum Rex fuisse, dicitur. Huic apud Rhenum defuncto successisse, vult Mannum ejus filium: Ex illis 30. Heroibus duos Heber, & hujus filium Hister terras inter Lemannum, & Danubium sitas occupasse, hosque Ribellinum, & Raurum, ac hujus filium Noricum, qui fortè locis istis nomen dedit, in regimine secutos refert. Ex Lazio Com. Reipubl. Rom. Lib. 2. cap. 8. fol. 192. ulterius commemorat, Norici terras Regnum fuisse; donec sub Tiberio, & Druso in Romanam Provinciam fuerint redactæ, atque ab eorum Præsidibus gubernatæ. Noricum Austriam Superiorem, Passaviam, Salisburgum, Carinthiam, Styriam, & partem Tyrolis comprehendisse, scribit prælaud. Illust. Historiographus.

29 Ipsam Metropolim antiquissimis temporibus Hadrianam, Adriam, Jopiam, Topiam, Aderatam, Petenam, postea Juvavum, Juvavium, Juvaniam, Juvaviam, aut Joviacum vocatam, Imperatorisque Hadriani, seu juxta alios, M. Aurelii Antonini Coloniam fuisse tradunt. At cur Juvavum, seu Juvavium? Aptissimam rationem affert Hundius in sua *Metrop. Salisb. pag. 1.* dum ait: *Salisburgum Romanorum olim Colonia erat, & Juvavium inde dicebatur, quòd Romani contra Germanorum incursiones, in faucibus montium, Arcem ibi munitissimam extrui curaverant, ad quam Milites, atque Satellites refugium, & juvamen haberent, unde & castrum hoc germanicè Helffenburg appellabatur: Idcirco non improbabiler creditur, Arcem, seu Castrum Juvaviense à Julio Cæsare fuisse erectum.*

30 Juvavium nostrum varia fata sustinuisse, narrat præfatus Illust. Author. Expertum fuit Ann. Domini 457. cum tota Germania, Gallia, & Italia Tyrannidem Artizæ Hunnorum Regis, qui se ipsum flagellum Dei vocitaverat, utpote ferro, & igne devastatum. Haud absimilem sortem sustinuit Anno 476. ab Odoacro Herulorum, & Ostrogotorum Rege. Ultimam ruinam demum anno seq. vel omninò, ut volunt, eodem à Vido-
ma-

maro passum. Rei successum his verbis describit memor. Hundius ubi supra. Vidomarus Rex Ostrogothorum, unâ cum Gotbis, Herulis, Turogis, & aliis tunc adhuc gentibus Germanorum nationibus, Noricorum incurans provincias (quod D. Severinus ex divina prædixerat inspiratione, adeoque Juvavienses ex Patavia, ubi tunc erat, seriò admonuerat, ut illinc, quàm celerrimè aufugerent, & sua confulerent saluti) Juvavienses ea negligentes, & omninò contemnentes, inopinatos opprimit, captâ, direptâ, & incensâ urbe, populum captivum abducit: Pontificem ejus loci in crucem agit, amplius LV. cum ipso Symmystas contrucidat, & è rupium cavernis, quò fugerant, sicuti adhuc ibidem monstratur, præcipitat: Qui omnes humati esse referuntur in eade D. Amandi, quæ nunc est D. Margarita. Hoc autem factum esse Anno Domini 476. ex Eugippio in historia S. Severini, refert Joann. Avent. Lib. 2. Annalium Bavarie.

Ab eo tempore usque ad adventum S. Ruperti urbem de-31 fertam mansisse, memorat Illustr. de Dückher. Circa annum reparatæ Salutis 582. studiò, & operâ tum D. Ruperti, cùm etiam, & vel maximè, juvamine Theodonis Bavarie Ducis denudò restauratur: ita tradente eodem Hundio loc. cit. Ibi: Expulsis autem postea, per Theodonem Primum, ac Theodonem Secundum, Magnum dictum, Duces Bojorum, ex tota Bojaria Romanis, instauratum est Juvavium, quod à Salis proventu Salisburgium, sicut & fluvium alluentem, Juvorum antea dictum, Salzam vocârunt. Notat insuper suprâ Laud. à Dückher., Salsam fluvium IGONTAM priùs fuisse appellatum.

SECTIO TERTIA.

De Statu Religionis Germanorum.

Primum Reipublicæ fulcrum esse Religionem, facilè apud omnes erit in confesso; hinc meritò inspectâ, Germanorum origine, ad eorum Deos, cultumque Sacrorum progredimur. Præmittitur tamen

Reflexio Critica.

Non equidem defunt, quibus placet, priscam Germanorum Gentem, barbaram utpote, & cunctis in rebus efferatam, nullum habuisse Deorū cultum, nullamque, antequam Romani, superato Rheno, Germaniā ingrederentur, possedisse religionis notitiam, aut suspicionem. Idque verbis Cæsaris de B. G. Lib. 6. probari existimant. Ibi: *Neque Druides habent, qui rebus divinis præsent; neque sacrificiis student.* Quod argumentum sanè haud leve, nec vanum; nempe, si neque sacra, neque sacerdotes habuerint; nec deorum quidem venerationem habere potuissent. At prætereuntur heic, seu potiùs dissimulantur ea, quæ continuò Cæsar subnectit, his verbis: *Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus apertè juvantur; Solem, & Vulcanum, & reliquos ne famâ quidem acceperunt.* Hinc illorum sententia, oppidò quàm absurda, facilè unò, atque alterò aliorum auctorum testimoniò convelli potest. Cicero, de natura deorum, ex Epicuri libris hanc de diis adfert opinionem: *Quæ est gens, aut quod genus hominum, quod non habeat, sine doctrina, anticipationem quamdam deorum?* Et paulò post: *Non instituto aliquo, aut more, aut lege banc esse,* ait, *opinionem constitutam.* Idem Cicero, de divinatione, *Omnes, inquit, reges, populi, nationes, utuntur auspiciis.* Sed clariùs Dionysius Halicarnassensis, *Antiquitat. Roman. Lib. VII.* ubi gentem quamcunque quamvis barbaram, suos coluisse Deos, contendit ita differens: *Antiquitates alicujus regionis scribentibus non satis esse existimo, si in eis percensendis sequuntur fidem indigenarum; sed opus etiam esse puto, multis & irrefragabilibus testimoniis, si fidem mereri velint, inter quæ primum & præcipuum locum tribuo ceremoniis, quæ cuique populo, in colendis diis, atque geniis, sunt patriæ. Has enim jam diutissimè servant, cum Græcæ, tum barbaræ nationes: nec quidquam in eis censent immutandum, iræ Divinæ metu: potissimum verò barbari hoc persuasum habent; multas equidem ob causas, quas enumerare tempus nunc non finit: nec longâ temporum serie adduci potuerunt hætenus, ut cultum deorum, quorum sacra patrio ritu celebrant, dediscere, aut aliquâ ex parte immutare voluerint, vel Ægyptii, vel Afri, vel Cæltæ, vel Scythæ, vel Indi, aliæve ulla gens bar-*

barbara: nisi quæ fortè in alienam potestatem redacta, ritus victoris recipere coacta fuerit. Jungatur fides Taciti de *M. G.* c. 9. Ibi: Deorum maximè Mercurium colunt, cui certis diebus, humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem, ac Martem, concessis animalibus, placent: Pars Suevorum & Isidi sacrificat. Unde causa, & origo peregrino sacro, parùm comperi, nisi quod signum ipsum in modum liburnæ figuratum, docet advectam religionem. Ceterùm nec cobibere parietibus deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium arbitrantur. Lucos, ac nemora consecrant, deorumque nominibus appellant secretum illud, quod solâ reverentiâ vident. Item c. 40. Deuringi deinde, & Aviones, & Angli, & Varini, & Eudoses, & Suardones, & Nuthones, fluminibus, aut silvis muniuntur, Nec quidquam notabile in singulis, nisi quod in commune Hertbum, id est, Terram matrem colunt. Rurfusc. 43. Apud Nabarvalos antiquæ religionis lucus ostenditur. Præsides sacerdos muliebri ornatu, sed deos interpretatione Romana Castorem, Pollucemque memorant. Dii verò erant Germanis vel communes, vel speciales. Sit itaque

§. I.

De Diis Germanorum in genere.

COMMUNES Germanorum Dii isti erant, quibus singuli dies 2 erant dedicati, & ab iisdem pariter nomen adepti.

Antiquissimum Deorum, ajunt, fuisse SOLEM, quem homines, postquam ad naturam fuerint relapsi, tanquam inter astra præstantissimum venerari cœperunt, ita, ut dux, & princeps, & moderator luminum reliquorum, & mens mundi, & temperatio existimaretur. Cicero in *Somnium Scipionis*. Idem affirmat Macrobius *Saturn. lib. I. c. XVII.* qui etiam omnes deos ad Solem referri, contendit. Quanti autem Sol apud Veteres fuerit habitus, declarat Philippus à Turre in *monumentis Veteris Antii*, Vossius in *Theologia Gentili*. Ex Oriente igitur hic cultus æquè ad Germanos, ut refert Cæsar de *B. G. lib. 6. c. 21.* pervenit, qui eundem præter alios deos coluerunt. Cluv. *lib. c. 26.* Unde prima hebdomadæ dies *Sundag*, accuratiùs *Sonntag* dicitur.

3 Soli proxima erat LUNA, quam inter Deos suos coluisse Germanos, Cæsar auctor est. Hanc etiam in Consiliis suis quidpiam operari putabant. Conveniebant itaque ad publica negotia pertractanda, cum aut inchoabatur luna, aut implebatur. Ita Tacitus ubi supra c. II. *Cœunt, inquit, nisi quid fortuitum, & subitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoatur luna, aut impletur. Nam agendis rebus hoc auspiciatissimum initium credunt.* Lunæ cultum Lüneburgi maximum fuisse, Chronographi contendunt, ubi etiam templum Lunæ famosissimum unâ cum ipsius statua, à Julio Cæsare erecta, à Carolo M. verò, vel Egistio Episcopo destructa traditur; inde etiam nomen urbis ortum putant, voluntque ibidem Monasterium in honorem Deiparæ Virginis, & S. Michaëlis constructum, ut videre apud Leibniz tom. I. p. 261. Verùm Schedius de Diis German. *Singr. 4. c. 8.* hanc opinionem his verbis refutat: „Luneburgum Lunæ dedicatum scribunt, „& columnâ Lunæ erectam, cui insidebat imago viri oblongis „auribus, auream Lunæ imaginem manibus tenens: quam de „molitam fuisse à Carolo M. anno 800. scribunt. Sed urbs hæc „nomen aliunde traxit. Dicta enim est à præterfluente fluvio Lu- „na, vel Emoa: vel à divite lini copia, quod ibi crescebat: quod „Superioris Germaniæ idiomate dicitur Lein, inferioris Lyn. „Hinc Sagittarius *Memor. Hist. Lüneburg. §. 2.* Luneburgi ety- „mon à Linonibus malim repetere, quàm ab anili fabula, Lu- „nam pro Dea hinc cultam. „ Inde secunda hebdomadæ dies *Montag.*

4 Sequitur MARS Soli vicinum astrum præcipuus deorum dictus apud Germanos. Tacitus de M. G. c. IX. *Herculem, & Martem concessis animalibus placant.* Idem *Historiar. Lib. IV. cap. 64.* *Rediisse vos in corpus, noménque Germaniæ, communibus Deis, & præcipuo deorum Marti grates agimus.* Eundem apud Saxones præprimis fuisse cultum, testatur Wittichindus *Lib. I. p. 633.* Celeberrimum ejusdem templum fuit Colonia Agrippinæ, quò A. Vitellius, postquam in Germania Imperator fuisset salutatus, pugionem, quò se Otto occiderat, misit dedicandum. Hinc etiam Hassiæ Marpurgum, Sueviæ, & Misniæ Martisburgum

men traxisse dicuntur. Æneas Sylv. *Europa* c.30. cui opinioni tamen contradicit Aventin. *Ann. Bojor. Lib. 1. c. 6. Sched. l. 4. c. 4.* Mars autem Germanis dicebatur Thies; Inde tertius in hebdomada dies ipsi consecratus *der Thies Tag*: Aliis *Dings-Tag*: *Dinges-Tag Cluv. lib. 1. c. 28. pag. 243.* Nobis *Dienstag*: Aliis etiam *Erichtag*, mox *Laud. Author d. l. pag. 242.* quæ vox propè ad Græcorum Ἄρης, vel Ἐρῆς accedit. Frogilus Arnkiel à Tuistone derivat, ita tradens: Am Dienstag hatten sie den Abgott *Tuisco* an, ward vorgestellt mit einem Scepter in der Hand, und mit der Haut eines wilden Thiers angethan. Er wird gehalten für einen Gott der Gerechtigkeit, daher an seinem Tage Ding, und Recht von Uhr-Alters her ist *administriret*, welcher deßfalls *Dingstag*, sonst *Eistag*, vor Zeiten aber *Tvistag* ist genannt. *Ding* quippe sonat *judicium*.

Proximus est MERCURIUS, cui pariter certis diebus humanis hostiis litare fas habebant Germani: Tacit. c. 9. cujus formalia superius retulimus. Cæsar de B. G. Lib. 6. c. 17. ita scribit: *Deum maxime Mercurium colunt, hujus sunt plurima simulacra: hunc omnium inventorem artium ferunt: hunc viarum, atque itinerum ducem; hunc ad questus pecuniæ, mercaturæque habere vim maximam arbitrantur.* Hunc Wodan sive Godan vocare solebant. Paulus Diaconus de Gest. Longob. Lib. 1. c. 9. *Wodan sanè quem, adjectâ literâ, Gwvotan dixerunt, ipse est, qui apud Romanos Mercurius dicitur, & ab universis Germaniæ gentibus ut Deus adoratur.* Grotius prolegomenis ad Scriptores *Histor. Gotbic. p. 22.* Eidem medium hebdomadis diem, seu quartum dicare solebant, qui exinde nobis dicitur *der Mittwoch*, olim *der Wodans-Tag*, *Godens-Tag*. Volunt nonnulli, ex voce Godan oriri verbum Teutonicum *Got*. Godefr. Viterbiens. in *Chron. part. 17*: quem refert. Cluv. *Lib. 1. c. 26. pag. 223.* quod vocabulum pro variis dialectis scribitur *God*, *Goad*, *Goed*, *Gud*, *Gut*, significatque *bonum*: quia Deus infinitè bonus, fonsque est, & origo omnis bonitatis. Esto istam derivationem mem. Auctor non amplectatur.

Quintus erat JUPITER deastrorum præcipuus, cujus cultus apud omnes gentes, præsertim Celtas erat maximus, ac singu-

gularis. Colebant hunc sub nomine *Taranis*, sive *Tonantis*, ac exinde *Gentibus Septentrionalibus* dictum fuit *Thor*. *M. Adami de situ Daniae n. 92.* *Thor praesidet in aëre, qui tonitrua, & fulmina, ventos, imbrésque, & serena, & fruges gubernat: Et paulò post: Thor autem cum sceptro Jovem exprimere videtur.* *Ericus Olai Hist. Suec. Lib. 1. cap. 1.* *Thor tanquam potentissimus & summus Deorum, in medio, & aliis altior residebat, imagine viri nudi, dextrâ quidem sceptrum, sinistrâ verò septem stellas praeferentis, insignis.* *Hinc Grotius Prolegom. p. 21.* *Veteres Germani Deum caeli non alio nomine, quàm Thorn vocârunt, quod est tonans.* Huic singulis hebdomadis quintâ feriâ per deputatos sacerdotes sacrificia offerebant, à quo dies illa dicta erat *Thorsdag*, seu nobis *Donnersdag*. *Gobelin. Persona. Cosm. et. VI. c. 4.* *Dies Jovis dicitur Donnersdag, id est, dies tonitruui, quia gentiles potestatem tonandi attribuebant Jovi tanquam summo Deorum.* Templum ejusdem famosissimum erat *Thornburgi*, quod exinde nomen adeptum. Imò *Thuringi*, ut volunt, sine dubio ab eodem denominati, cum ingi notet posteritatem, ut ideò *Thuringi* indicent *Thori*, sive *Jovis* posteritatem, à quo se oriundose esse, credebant *Thoringi*. *Metrop. lib. 1. c. 12. Sched. Syngr. 4. c. 3.*

7 Sextum locum occupat *VENUS* amoris, voluptatùmque Dea. Hujus cultum apud *Saxones*, & potissimum *Magdeburgi* maximum fuisse traditur, sub hac figura. Stabat in curru nuda foemina, myrteâ caput cincta coronâ, ardentem faculam gestans in pectore, in dexterâ mundi figuram, in sinistra verò mala aurea tria praeferens. Post eam tres puellæ, *Charites* *Græci*, *Gratias* *Latini* dixere, nexis manibûs nudæ poma gestabant, averfis invicem vultibus, dona porrigentes. Jugales quadrigæ erant, gemini cygni, totidémque columbæ. Hanc statuam *Carolus M.* dicitur evertisse. *Septentrionalibus gentibus* Deus erat dictus *Früco*, de quo idem prædicabant, quòd pacem, voluptatémque largiretur mortalibus. Ipsa verò *Venus* dicitur *Friea*, ex qua sextus dies dicitur *der Frieitag*. *Kranz. Saxon. lib. 2. c. 12. M. Adami de situ region. Daniae n. 92.* Id quod confirmat *Gob. Persona. Cosmodr. etat. III. c. IV.* Ibi: „Dies
„Ve-

„ Veneris dicebatur Fritage : unde Venus dicebatur Dea amo-
 „ ris, & ut mihi videtur, salvo iudicio meliori, Venus apud
 „ quosdam Teutonicos dicta est Friege, dum adhuc gentiles
 „ erant: inde habemus verbum vulgare frien, quod est ob culpæ
 „ carnalis amorem consensum in alium, vel aliam dirigere, seu
 „ ad consensum huiusmodi provocare, vel propalare. „ Cluv.
Germ. Ant. Lib. I. c. XXVII. p. 237.

Numerum Deorum communium claudit SATURNUS 8
 occidentis populis, teste Cicer. *de divination. Lib. 3. pag. 339.* ma-
 ximè cultus. *Quid enim, ajebat, si ii fratres, sunt in numero Deo-
 rum, num de patre eorum Saturno negari potest? quem vulgò maxi-
 mè ad Occidentem colunt. Sic etiam Dionysius Halicar-
 nassensis Lib. I. Antiqq. Rom. p. 30. auctor est, Saturnum apud Gal-
 los, aliásque gentes Occidenti proximas fuisse cultum. Cluv.
 Lib. I. c. XXVI.*

Ægyptiorum inventum fuisse, tradunt, singulis diebus af- 9
 signare certum, qui coleretur, Deum, ab hisque ad Occiden-
 tales, & Germanos pervenisse. Ingenuè hoc fatetur Dio Cass.
*Hist. Rom. Lib. 36. pag. 37. Ibi: Quod autem dies ad septem sidera illa,
 quos planetas appellârunt, referuntur; id ab Ægyptiis haud ita dudum,
 ut paucis dicam, institutum, ad omnes homines dimanavit. Adstipula-
 tur Herodotus Lib. I. c. LXXXII. Rationem subministrat Gob.
 Persona Cosmodr. etat. II. c. 4. Ab istis, ait, septem nominibus Pla-
 netarum apud gentes diversas nominantur dies anni. Unde gentiles quem-
 libet diem nominabant à planeta, quem credebant dominari in prima ho-
 ra talis diei, & credebant, quemlibet planetam dominari per unam ho-
 ram. Cum igitur Sol inter omnes Planetas clarior, & efficacior eis vi-
 debatur, primam illi diem attribuebant: & in prima hora illius diei præ-
 cipuè dominari dicebant: secundam horam attribuebant Veneri: ter-
 tiam Mercurio: quartam Lunæ: quintam Saturno: sextam Jovi, & septimam
 Marti, & deinde octavã horam Soli, nonam Veneri, & sic ascendendo, &
 descendendo secundum nomina Planetarũ usque ad horam XXIV. ipsa ho-
 ra XXIV cedit Mercurio: Et ergo prima hora sequentis diei cedit
 Lunæ, quæ dies secunda dicebatur dies Lunæ, & sic de aliis diebus com-
 putando, dies tertia dicitur dies Martis, dies quarta dies Mercurii:*

G

dies

dies quinta dies Jovis, dies sexta dies Veneris, & dies septima dies Saturni.

I. Reflexio Critica.

- 10 Ex his abundè patet, vix posse Cæsar's opinionem de Germanorum Diis subsistere, dum ait: *Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus apertè juvantur: Solem & Vulcanum, & Lunam: reliquos ne famâ quidem acceperunt.* Fortè Imperatori primo è Romanis in Germaniam venienti ejus status haud satis erat perspectus; hinc fides Taciti præponderabit.
- Illud pariter optandum foret, quod Cluv. *Lib. 1. c. 26. & 3. seqq.* evincere conatur, fuisse Germanis *TRINITATEM* cognitam, atque in Sole adorâsse *DEUM PATREM*, in Luna *FILIUM*, & in Vulcano, seu Igne *SPIRITUM SANCTUM*. Adeò ut juxta doctrinam Macrobbii *Saturnal. Lib. 1. c. 17.* omnes Deorum appellationes ad unum Solem spectaverint, ab ejus autem virtutibus, ac effectibus varia ei tributa fuerint & nomina, & Numina. Illustrantur hæc quàm maximè ex iis, quæ habet sapientissimus Senec. *de Benef. lib. 4. c. 6. ad fin.* „ Ille Deus est, „ inquit, non qui paucos boves, sed qui per totum orbem armenta „ dimisit, qui gregibus ubique passim vagantibus pabulum præ- „ stat, qui pascua hibernis æstiva substituit, qui non calamo tantum „ cantare, & agreste, atque inconditum carmen ad aliquam „ tantum oblectationem modulari docuit, sed tot artes, tot vo- „ cum varietates, tot sonos, alios spiritu nostro, alios exter- „ no, cantus edituros, commentus est. Neque enim nostra „ ista, quæ invenimus, dixeris: non magis, quàm quòd cres- „ cimus, quàm quòd ad constitutum temporum sua corpo- „ ri officia respondent (Statim post) Infinita sunt nobis omnium „ ætatum, omniumque artium semina, magistræque ex occulto „ Deus producit ingenia. Natura (ita pergit *c. 7.*) hæc mihi „ præstat. Non intelligis te, cum hoc dicis, mutare nomen „ DEO? Quid enim aliud est natura, quàm Deus, & divina ra- „ tio, toti mundo, & partibus ejus inserta! Quoties voles, „ tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare. „ & Jovem illum optimum, ac maximum ritè dices, & Tonan- „ tem,

tem, & Statorem, qui non (ut Historici tradiderunt) ex eo, quod post votum susceptum, acies Romanorum fugientium stetit, sed quod stant beneficio ejus omnia, stator, stabilitorque est. Hunc eundem & fatum si dixeris, non mentieris; nam, cum fatum nihil aliud sit, quam series implexa causarum, ille est prima omnium causa, ex qua cæteræ pendent. Quæcunque voles, illi nomina propriè aptabis, vim aliquam effectumque coelestium rerum continentia. Tot appellationes ejus possunt esse, quot munera. Nec minùs ad rem proficitur *cap. 8.* ajens: „Hunc & Liberum patrem, & Herculem, ac Mercurium nostri putant. Liberum patrem: quia omnium parens sit, quod ab eo primùm inventa seminum vis est, consultura per voluptatem. Herculem: quia vis ejus invicta sit, quandoque lassata fuerit operibus editis, in ignem recessura. Mercurium: quia ratio penes illum est, numerusque, & ordo, & scientia. Quocunque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi. Nihil ab illo vacat: opus suum implet. Ergo nihil agis ingratiſſime mortalium, qui te negas Deo debere, sed naturæ; quia nec natura sine Deo est, nec Deus sine natura: sed idem est utrumque, nec distat. Addimus aliud sane mirandum: „Non sunt ad coelum elevandæ manus (ita divino vix non afflatus spiritu differit *Epist. 41.*) „nec exorandus ædituus, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat: propè est à te Deus, tecum est, intus est: „Ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator, & custos: hic prout à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adjutus, exurgere? Ille dat consilia magnifica, & erecta. „Profectò Senecam propriorem de Deo habuisse notitiam, vix negabit, qui ejus opera evolvit. Num verò hæc & nostris Germanis fuerit indita, seu innata, aliis judicandum relinquimus.

II. Reflexio Critica,

Germanos non solum deos, sed & deos coluisse, ex Ta-11

cito de *M. G.* compertum est, dum *Isin Delum Matrem, & Terram Matrem* commemorat. Cluv. *ubi supra c. 27.* rursus contendit omnia Dearum nomina, adeoque *Isin, Minervam, Junonem, Venerem, Cererem, Dianam, Proserpinam* ad unam referendas esse Lunam. Manethus, & Hecathæus apud Laërtium in proœm. Authores sunt, Ægyptios tradidisse, *Deos esse Solem, & Lunam.* Diodorus *Lib. 1.* ex Ægyptiorum Theologia refert, *vetustissimos in Ægypto mortales, quum mundum suspicerent, cunctarumque rerum naturam cum stupore admirarentur, duos esse deos conjecisse, sempiternos, atque omnium primos, Solem, ac Lunam: quorum istum Osirin, hanc Isin, ab certa quadam nominis ratione, appellarint. quippe si Græcè interpreteris, Osirin, esse multoculum; Isin verò antiquam: quod nomen ab æterna, & antiqua generatione ei sit impositum.* Ejus autem signum erat navigium, per quod Noachi Arcam significari, suspicatur Laud. Cluv. *d. l. 1. c. 27.* ubi plura de navigio Isis commemorat. Cùm igitur vetustissimi mortalium (ut supra ex Ægyptiorum Theologia ostensum est) primos, æternosque crediderint deos; ex his cætera sidera, id est, cætera numina, unà cum universo mundo, procreata fuisse necesse est. Quum verò Ζεύς, id est, Jupiter, idem sit Sol; & Jovis uxor habita sit Juno: hæc quoque eadem jam erit Luna. Item, quum Saturnus quoque sit Sol, & Saturni uxor habita sit Rhea, quæ Latinis Ops: hæc etiam manifestissimo hoc argumento erit Luna.

12 Quid de TERRA? Et Germanis fuisse Deam nobis relinquit Tacit. *cap. 40.* Ejus verba retulimus supra in præmissa ad hanc Sect. Reflex.; quibus ex eod. Tacito *ibid.* addimus hanc Deam celebrandi ritum. *Terram matrem colunt, pergunt, eamque intervenire rebus hominum, inveni populis arbitrantur. Est in insula Oceani castum nemus, dicatumque in eo vehiculum veste contectum, attingere uni sacerdoti concessum. Is adesse penetrati Deam intelligit, veclanque bubus foeminis multa cum veneratione prosequitur. Latè tunc dies, festa loca, quæcumque adventu, hospitioque dignatur. Non bella incunt, non arma sumunt, clausum omne ferrum: pax, & quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem sacerdos satiatam conversatione-*

satione mortalium Deam templo reddat. Mox vehiculum, & vestes, & si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. Servi ministrant, quos statim idem lacus baurit. Arcanus hinc terror, sanctæque ignorantia, quid sit illud, quod tantum perituri vident.

Id & apud Romanos fuisse moris, memorat Herodianus **Lib. 1.** „Veris initio quotannis, stato solennique die, festum. „Matri Deum Romani celebrant. In eo, quæcumque apud „quemque sunt divitiarum argumenta, suppellæque pretiosa „Imperatorum; materiæ, atque artis spectandæ, præferri in „pompa ante Deam solent. Ac summa tunc omnibus quovis „modo ludendi concessa est licentia: adeò, ut unusquisque „quamcunque velit, personam (Nostra dixeris esse Bacchanalia) „inducat: neque ulla sit tam magna, aut eminens dignitas, cujus „habitum non liceat, cuicumque libeat, induere, ludere, & „rem veram imitari; ita ut difficile sit eum, qui re vera est, „ab eo, quem quis imitatur, dignoscere. „ *Quis ambigit* (scribit Macrob. Saturnal. **Lib. 1. c. 21.** *Matrem Deum Terram haberi? Nec in occulto est* (idem Auctor d. l.) *neque aliud esse Osirim, quàm Solem: Nec Isin aliud esse, quàm terram.* Jam ex mox dictis Isis nil aliud est, quàm Luna; consequenter inferunt, & Mater Deum, & terra mater nihil sunt aliud quàm Luna.

Venerem & Lunam idem rursus esse, contendit cit. **Ma-14** **crob. d. l.** Ibi: *Nam Physici terræ superius hemisphærium, cujus partem incolimus, Veneris appellatione coluerunt; inferius verò hemisphærium terræ Proserpinam vocaverunt.* His subscribit Plutarchus *de Iside.* Sunt, inquit, qui Osirin disertè ajunt esse Solem; Isin verò nullam aliam, quàm Lunam. Itaque & ad res amatorias Lunam invocant: & iis rebus præesse Isin, Eudoxus affirmat. Nec aliter sensit. **Plin. Lib. 2. c. 8.** *Veneris sidus alios Junonis, alios Isidis, alios Matris Deam appellavisse.* Isin etiam Minervam dictam, testatur Plutarchus *de Iside:* *Isin sæpè Minerva nomine significant.* Cererem verò Lunæ appellatione venisse, interpret est Herodot. **Lib. 11.** *Ægyptiorum lingua Isis Ceres est: Hinc Orphei versus:*
Terra mater omnium, Ceres divitiarum datrix.

15 Dianam pariter, & Lunam idem esse refert Cicero *de nat. deor. Lib. II. Dianam, & Lunam esse putant. Luna à lucendo nominata est; eadem est enim Lucina. Itaque, ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam; sic apud nos Junonem Lucinam in pariendo invocant. Diana dicta, quia noctu quasi diem efficeret.*

III. Reflexio Hist.

16 Germanos præter Solem, & Lunam etiam Vulcanum inter Deos numerasse, patenter ex hæcenus allatis dignoscitur. Illud addendum sub Vulcano & Martem, & Herculem fuisse intellectos: fidem suspendis? Cape argumentum, & elige. *Martis sidus, & Hercules fuisse appellatum, memoriæ proditum, apud Macrobi. Saturnal. Lib. I. c. 12. Salius autem Herculi, ubertate doctrinæ altioris, assignat Virgilius; quia is Deus & apud pontifices idem, qui & Mars habetur. Paulò post: Chaldæi quoque stellam HERCULIS vocant, quam reliqui omnes MARTIS appellant. Colebatur itaque, ceu autumant, sub duobus nominibus Martis & Herculis, & ita intelligi volunt Tacitum: Herculem, ac Martem (ait c. 9.) concessis animalibus placant. Grave etiam super hac re testimonium perhibet Witichind. in Saxon. Chron. Lib. I. his verbis: Secundum errorem paternum, sacra sua propriâ veneratione venerati sunt: nimirum Martem, effigie columnarum imitantes Herculem. Cave tamen, ne Herculem Alcumenâ natum, de quo Græci fabulati sunt, omnem obiisse terrarum orbem, neque Ninum, seu Nemrodum, minùs Herculem cognomento Alemannum; sed illum, qui eadem ratione, quâ Theut, seu Tuisto Germanorum origo, & Author fuit, intelligas. Audiatur de nostro hîc Hercule Macrobius Saturnal. Lib. I. c. 20. Sed nec Hercules à substantia Solis alienus est. Quippe Hercules ea est Solis potestas, quæ humano generi virtutem ad similitudinem præstat Deorum. Nec æstimes, Alcumenâ apud Thebas Bæotias natum, solum, vel primum Herculem nuncupatum. Imò post multos, atque postremus ille hac appellatione dignatus est, honoratusque hoc nomine; quia nimîa fortitudine meruit nomen Dei, virtutem regentis. Cæterum Deus Hercules religiosè quidem, & apud Tyron colitur: verum sacratissimâ, & augustissimâ, Egyptii eum reli-*

religione venerantur, utraq;ue memoriam, que apud illos retrò longissima est, ut carentem initio colunt. Ipse creditur gigantes interemisse, cum cœlo propugnarent, quasi virtus Deorum.

§. II.

De Diis Germanorum particularibus.

PRÆter hosce Deos universales, erant etiam certarum Gen-17
tium Dii particulares. Thuringis præter Thorum, de quo
superiùs, **BUSTERICHUS** erat. Idolum hoc in diruta
arce montana Rotenburgica, ducentos ante annos repertum,
nunc Sondershusæ asservatur. Ex metallo ignoto est ulnam
altum, abdominis peripheria ulnam cum triente habet; intus
cavum est, & amphoram aquæ capit. Speciem habet pueri
decennis irati, obtutu torvo, dextra capiti imponitur, sinistra
in femore quiescit. In medio capite foramen est, ut & in ore.
Cuneis solebant hoc foramen, infusâ priùs in cavitatem aquâ,
operire, capitique imponere ardentes prunas. Sic vehemen-
ter sudabat idolum, & tandem cum impetu sonoro cuneos ex-
plodebat; hinc ex utroque foramine, magno cum spectan-
tium terrore veluti flammæ ejaculabatur. Hac fraude impo-
nebant sacrificuli plebi inconsideratæ. Ejusdem estypum fabre-
factum servat etiam Lipsiensium Bibliotheca Paulina. Plenius
hoc Idolum describit Ernst. *var. obs. lib. 2. c. ult.*

Pergimus ad Saxonum Deos, inter quos antiquissimus erat 18
CRODO. Hoc in arce Hartesborg idolum coluere Saxones,
senem in pisce stantem, qui rotam teneret, & urnam cum fru-
gibus, vel rosis; in rota unionem populi, in urna rerum signi-
ficans abundantiam. Sed Carolus M. subvertit. Remansit au-
tem inter Saxones execrationis vocabulum, ut in detestatio-
nem rei pessimæ dicant: *krodo*. Communis est opinio, Cro-
donem esse Saturnum, ex *Κρόνος* corruptum, kronos enim,
idem, ac Saturnus. Heinccius *diff. de Crodone Harzburgico* §. 26.
existimat, fuisse veterem quemdam Saxonum Principem.

Alte-

- 19 Alterum, quod à Saxonibus colebatur, Idolum, idémque præcipuū erat IRMENSULA. Ejus figura variè describitur. Fabicius origg. *Sax. lib. 4. p. 426.* *Imago statuæ erat vir armis terribilis, & gladio accinctus: in galea stabat gallus loco comi: in thorace expressus ursus: in clypeo leo. Manu dextera ferebat vexillum, cum insigni roseæ rubræ: in sinistra lanceam æquilibrem, quæ item in clypeo spectabatur.* Wernerus Rolewinck verò sic depingit: *Erant in statua Hermensuel quatuor imagines, scilicet Martis, Mercurii, Herculis, & Apollinis, sed tamen à Marte tanquam principaliore denominabatur locus. Hoc erat vastissimum Idolum totius Saxonie.* Adamus Bremensis *Hist. Eccl. lib. 1. c. 6.* truncum ligni tum ex voce Sul, id est columna, cum etiam ex antiqua Germanorum simplicitate fuisse, arbitratur. Hinc Poëta Anonymus in *vita Caroli M. ad Ann. 772.* ita canit:

*Gens eadem coluit simulacrum, quod vocitabant
Irmensul, cujus factura, simulque columna,
Non operis parvi fuerat, paritèrque decoris.
Hoc Rex evertens &c.*

- 20 Illud maximè ambiguum, cuinam hic truncus arboris, seu columna fuerit dicata. Mirum, quantum inter se discrepent Scriptores. Plures sunt, qui Irmensul quasi jedermanns seule, communem Deorum fuisse statuam putant. Gobelinus Persona statuam Mercurii fuisse, dicit, qui aliàs Hermes dictus. Guernerus Rolewinck, Martis statuam fuisse, autumat. Aventinus *Annal. Bojic. Lib. 1. c. 6.* ita tradit: „Sed ad Hermionem redeo: „qui ob virtutem in coelum sublatus à suis, cultusque pro Deo. „Ejus templum, ac signum dictum Hermansal, hoc est Hermionis sala, seu aula. Carolus Magnus solo æquavit, & demolitus est. Et *Lib. IV. c. II.* Erat templum Hermionis, Saxonibus vetusta religione augustissimum, quò frequens populus „coibat, & vota reddebat. Multa ibi opulentia Regum, populorumque visebantur munera: ingens auri, argenticque ibi copia ostendebatur: quæ vota reddentium grata voluntas con- „gesserat. Saxones Hermanni salam vocabant: id est aulam, „sive basilicam Hermanni, Hermionisve. Is fuit quintus Germaniæ Magnæ Imperator, pronepos Regis Manni, filii Tuisco-

„sconis, & authoris nostri, ipsum majores nostri ob bellica fa-
 „cinora in numerum Deorum retulerunt, pro numine, & belli
 „præside hætenus coluerant. Ejus fanum Magnus diripit, mi-
 „litibus aurum, & argentum, opes Hermioni consecratis di-
 „stribuit. „ Georgius Spalatinus hanc statuam in honorem Ar-
 „minii Germanorum Herois erectam existimat. „ Mihi (ita in
Hist. Arminii c.33.) postquam historiam Arminii tractare coepi,
 „Irmensuel dictum esse videtur, quasi Arminii statuam, quæ in
 „ejus honorem more Romanorum, aliarumque gentium sit
 „crecta, ac initio quidem dictam Arminii statuam, postea tem-
 „pore progrediente vocem corruptam, atque in Irmensuel
 „mutatam.

Profectò Arminium magnam sibi apud Germanos conci-21
 liasse famam, testis est Tacit. noster *Annal. Lib. 2. c. ult.* Ibi: *Ce-*
terium Arminius abscedentibus Romanis, & pulso Maroboduo, regnum
affectans, libertatem popularium adversam habuit: petitusque armis,
cum variâ fortunâ certaret, dolò propinquorum cecidit, liberator haud
dubiè Germania, & qui non primordia populi Rom. sicut alii Reges du-
césque, sed florentissimum imperium lacefferit: præliis ambiguus, bello
non victus. Septem & triginta annos vitæ, duodecim potentie exple-
vit; canitiæque adhuc barbaras apud gentes: Græcorum annalibus ig-
notus, qui tantum mirantur: Hinc satis videtur credibile, ob vic-
 toriam de Q. Varo adeptam hæc statuâ fuisse celebratum.

Hoc idolum autem unâ cum fano, & arce Ehrenburgo,22
 vel, ut appellari solet, Merenburgo, à Carolo M. fuisse destru-
 ctum, tradunt *Annal. Fuldens. ad Ann. 772.* Ibi: *Cum Carolus Sa-*
xoniam bello aggressus, Eresburgum castrum cepit, & idolum Saxonum,
quod vocabatur Irmensul, destruit. Ubi, cùm exercitus præ siccitæ-
te deficeret, subito in quodam torrente, media die divinitus aque effu-
se sunt largiffime. Annal. Bertiniani ad 772. Prima vice (Caro-
 lus) castrum Heresburgum cepit, ad Ermenseul usque pervenit, & ip-
 sum fanum destruxit, & aurum vel argentum, quod ibi reperit, abstu-
 lit. Eadem sunt verba *Annal. Metenf. & Hildesh.*

Post alios deos, seu deas, quas etiam coluisse, dicuntur23
 Saxones, ut EOSTRAM HAMAM FLINNAM SIBAM,

H

HER-

HERTHUM, seu TERRAM, quæ, ut volunt, est Cybele, mater Deum celebris, erat statua Zedut, vel Jodutta dicta. Author est Krantzius Saxon. Lib. 5. c. 36. Ait ibi: *Decimoquinto deinde post centum, ac mille anno, quum Imperator Henricus in Saxoniam iterum duceret, Luderus dux, & Regnerus Episcopus Halberstadenfis, ac Fridericus Comes de Arnsberge justam illi aciem objecerant, in loco, qui dicitur Welpesholtz. Impares quidem numero Saxones, sed virtute, & alacritate pares initio, & in fine etiam superiores sunt inventi: nam confertis manibus, victoria penes Saxones fuit. Trophæum erexere victores in loco pugne, armatum clavâ virum, cum dependentibus armis Saxonie. Hanc statuam rustica plebs in superstitionem (in qua sunt, faciles) versa, cepit velut idolum venerari, arbitrata, esse antiquitatis deum, quem dixere Jodute. Eam verò, quæ hodie extat, conclamationem ad arma, & auxilium, non ab idolo ductam, aut vano deo, sed esse vocem Italicam, aut Gallicam, JO ADIUTE MI, doctiores arbitrantur. Ubi intellèxere viri prudentes statuam populo dare occasionem idololatriæ, dejecerunt penitus, reponentes in locum, qui nunc dicitur Weddingstede, conventum fratrum prædicatorum post annos ex hoc tempore non minus centum. Idem quidem narrat Cyr. Spangenberg in Tractatu Ursach und Handlung des Sächsischen Krieges bey dem Welpesholtz c. XIX. sed paulò aliter interpretatur; verba ipsius hæc sunt: Ist freylich auch dies das gewisset, daß die Bildnuß des geharnischten Mannes allda zum Gedächtniß ist aufgericht worden der gehaltenen Schlacht, und erlangten Siges, also daß es solte seyn ein Gedeute oder Bedeutniß derer Ding, so allda bey dem Welpesholtz geschehen. Weil dann die Sachsen ein Bedeutung pflegen ein Gedeute zu nennen, hat leichtlich diß Bild den Namen davon bekommen, und behalten.*

- 24 Partem Suevorum etiam Isidi sacrificasse, docet nos Tacit. de M. G. cap. 9. de quo superius. Idem tradit Lactant. Lib. 1. c. 11. *Certus dies, inquit, habetur in fastis, quo Isidis navigium celebratur, quæ res docet, non transisse illam, sed navigasse.* Refertur similiter ex Tacito ubi supra c. 43. Castoris, & Pollucis numina apud Germanos fuisse culta. Ibi: *Apud Nabarvalos (repetimus quadan-*

te-

tenus verba superius relata) antiquæ religionis locus ostenditur. Præsidet sacerdos muliebri ornatu, sed deos interpretatione Romani Castorem, Pollucemque memorant. Ejus numinis nomen *ALCES*. Nulla simulacra, nullum peregrinæ superstitionis vestigium, at fratres tamen, ut juvenes venerantur. Communis est opinio, Naharvalos esse Silesiorum finitimos, partem Poloniæ. Christophorus Wagemannus autem Naharvalos istos in Nordgavia quærit, atque, vocem Alcis idem notare putat, ac alis ist, sive omnium rerum substantia. Convenire etiam putat Nordgovix pagum, *Allesheim*, atque Ptolemæi *Alcimænem*, quam Birckheimerus pro Nordgovix Weissenburgo habet. Ipsum verò Numen si Castorem interpretemur, convenire videretur, quòd hi Hercules fuerint focii, qui ab avo Alceo dictus fuit *Alcides*. Alii aliter, quod non juvat inquirere.

Habebant etiam Slavi sua peculiaria numina. Inter hæc præcipuus Rugianorum erat *Zvantevitbus*, quatuor capita, totidem colla gestans, quorum duo ad pectus inclinata, duo autem ad tergum erant reflexa. Sacerdotum ipsius major erat, ac regis auctoritas. De hac re ita scribit *Helmoldus Chron. Slav. lib. 1. c. 6. & Lib. 2. c. 12.* Tenuis autem fama commemorat, *Ludevicum Karoli filium*, olim terram *Rudianorum* obtulisse *B. Vito* in *Corbe-gia*, eò quòd ipse fundator extiterit cœnobii illius. Inde egressi prædicatores, gentem *Rugianorum* sive *Ranorum*, ad fidem convertisse, feruntur, illicque oratorium fundasse in honorem *Viti* martyris, cujus venerationi provincia consignata est. Postmodum verò, ubi *Rani*, qui, & *Rugiani*, mutatis rebus, à luce veritatis aberrârunt, factus est error pejor priore: nam sanctum *Vitum*, quem nos servum Dei confitemur, *Rani* pro deo colere cœperunt, fingentes ei simulacrum maximum, & servierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori. Ad eò autem hæc superstitio apud *Ranos* invaluit, ut *Zvantevit* deus terræ *Rugianorum* inter omnia numina *Slavorum* primatum obtinuerit, clarior in victoriis, efficacior in responsis. Unde etiam nostra adhuc ætate, non solum *Wagirensis* terra, sed & omnes *Slavorum* provinciæ, illum tributa annuatim transmittabant, illum deum deorum, esse profitentes. Rex apud eos

modica estimationis est, comparatione flaminis. Ille enim responsa perquirit, & eventus sortium explorat.

26 Venerabantur etiam Slavi diabolum sub nomine ZERNEBOCK, quod nigrum deum notabat, ei opposcentes BELLEBOCK deum bonum. Inter præcipuos Obotritorum, atque Wagrorum deos erat PRONO vel PRONE dictus. Sched. *de Diis Germ. Syngr. 4. c. 13.* Hujus figura describitur in notis ad Helmoldi *Lib. 1. c. 52.* ut sequitur: *Hic Prono, virili forma in columna stabat, coronâ caput redimitus, oblongis, atque erectis auribus, altero pede tintinnabulo insistens, ocreas etiam indutus. Dextrâ ferrum rubrum, & quasi candens tenebat: alterâ vexilli contum quatiebat. Ferrum, quâ formâ fuerit, non usque ad eò certum. Vomeris speciem retulisse quidam non sine causa prodidère. Nostra illa figura ex Chronico Sax: expressa est; in quo vocatur ein Probeisen, quasi dicas, ferrum probationis, fortè quòd in ipso luco, & fano, & ad sacras illas quercus, inter quas stabat idolum, qui criminis alicujus rei essent, contrectatione ferri, aut vomeris candentis examinandi, & explorandi essent. Ita enim illa examinis per ferrum superstitio in Wagriorum animis radices egerat, ut eam ne tunc quidem, cum jam ad verum Dei cultum operâ Episcoporum, & Sacerdotum erudirentur, deponere prorsus vellent.*

27 Polaborum sive Ratzeburgensium dea fuit SIWA. Stabat illa, utrâque manu in tergum rejectâ, alterâ ovum cum folio viridi, pomum aureum alterâ tenens. Capilli per tergum ad poplites usque fluebant.

28 Plures forent ulteriùs dii, deæque Germ. recensendi; at veremur usque ad fastidium longiores esse. De VELLEDA, quæ sub Vespasiano vaticinata fuisse, dicitur, vid. Tacit. *Hist. lib. 4. c. 61. & 65.* Item *de M. G. c. 8.* De GANNA Dio Cass. *Lib. 67. pag. 761.* De AURINA idem Tacit. *cit. c. 8.* De TANFANA laud. Author *Ann. 1. c. 55.* Cluv. *G. A. Lib. 1. cap. 26. pag. 222.* ubi per Tanfanam notari omnium rerum principium quasi Th' Anfang existimat. An non per nimiam violentiam? alii judicent.

I. Reflexio Hist.

29 Esto jam ex dictis hætenus antiquissimi etiam Germani deos suos coluerint, templa tamen non habebant, ut refert Tacit.

cit. de *M. G.* cap. 9. Ibi: *Ceterum nec cobibere parietibus deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine coelestium arbitrantur. Lucos, ac nemora consecrant, deorumque nominibus appellant secretum illud, quod solâ reverentiâ vident.* Lucos autem istos; de quibus Tacitus, arboribus, & sepibus circumdabant, ut loco sanctimonium, & jus Asyli præberent. Optimè in hanc rem Seneca. Epist. 41. *Si tibi occurrit (inquit, ad Lucilum suum) vetustis arboribus, & solitam altitudinem egressis, frequens lucus, & conspectum cæli densitare ramorum aliorum alios protegentium submovens; illa proceritas silvæ, & secretum loci, & admiratio umbræ, in aperto tam dense, atque continuæ, fidem tibi numinis facit.* Simili etiam ritu venerabantur quasdam arbores sacras; potissimum verò nil quercu sacratius existimantes: Hoc probè explicat Aventinus *Annal. Boic. Lib. 3. c. 1.* dum ait: „Extabant in ripa Danu-
 „bii, & ora Germaniæ duæ vetustissimæ quercus, prodigiosæ
 „magnitudinis; millibus passuum viginti distabant: altera su-
 „perior, altera inferior, cognominabatur. Has quoque gen-
 „tili cæremonia Bojus consecravit: eò frequens populus coit,
 „victimasque immolavit. Bojiubi religionem Christianam re-
 „ceperunt, in templa, & inde cœnobîa comutârunt: Utrum-
 „que nomen vetus servat, Altaichiûmque vocari solet, quod
 „linguâ Bojicâ, veterem quercum significat (*Ober- und Nidber-*
 „*Altach*) antiquissima & celeberrima hodie Monasteria) Nam
 „nihil sacratius quercu majores nostri habuere: nulla sacra sine
 „hujus arboris fronde confecere; sacrificiis, epulisque ritè sub
 „hac arbore perpetratis, deos adprecati sunt. Viscum ejus è
 „cœlo missum putârunt, signumque esse à Deo electæ arboris. „
 Hæc ultima verba autem Aventinus ex Plinio hausit. *Lib. XVI. cap. XLIV.*

Successu tamen temporis, sensimque templa in lucis, ut mos invaluerat, consecratis erigebant. Legi merentur hac de re, quæ habet Cluv. *Lib. 1. c. 34. p. 282.* Ibi, „Postquam verò Augustus Cæsar partem Germaniæ, Rheno, Oceanoque proximam, in qua & Marforum fuit gens, armis subegit, præsidisque pressit; Romanorum suâsu, atque impulsu Germani pri-

rum templum in Marſis, ad imitationem Romanorum, per Romanos fortè etiam architectos (nam ipſi harum rerum, erant ignari) ſtatuèrunt; quod, quia unum fuit in omni terra Germanica; celebritate ſua, non ſolùm Marſis, ſed omnibus circà gentibus inclaruit: donec tandem, initio principatùs Tiberii, à Germanico exciſum.,,

II. Reflexio Hiſtorica.

31. Quænam Germanorum veterum fuerint Altaria non adèd conſtat: Certè Tacitus noſter de his nihil commemorat: Rudes fuiſſe eorum Aras, ex ceſpite fortè pro more aliarum Gentium erectas, ſuſpicari licet. Quò ſpectat illud Virg. *Æneid XII. verſ. 118.*

- - - - - parabant
In mediòque focos, & diis communibus aras
Gramineas.

Silius *Lib. 7. de Romano exercitu:*

- - Mille hinc (venerabile viſu)
Ceſpite de viridi ſurgunt properantiùs aræ

Et *Lib. 16. de foedere inter Scipionem, & Syphacem, in Africa iſto:*

Et ſimul exſtructis ceſpes ſurrexerat aris.

Ovidius, *Trift. Lib. 5. Eleg. V.*

Aræque Gramineo viridis de ceſpite fiat.

Quin ipſe Jehova hujusmodi ſibi erigere aram Moſen juſſit; teſte ipſo Moſe, *Exodi cap. XX. verſ. XXIV.* his verbis: *Aram terream facito mihi; ut ſacrifices ſupra eam holocauſta tua.*

III. Reflexio Hiſtorica.

32. Sicut habuiſſe Aras creditur, ita varia fuiſſe Germanorum ſacrificia, teſtis eſt Tacitus *de M. G. ſepiùs cit. c. 9.* ita ut neque hominibus pepercerint. In verbis: *Deorum maximè Mercurium; cui certis diebus HUMANIS quoque HOSTIIS litare, fas habent. Herculem, ac Martem, conſeſſis animalibus placant. Marti tamen æquè humanas hoſtias fuiſſe devotas, idem tradit, dum Ann. XIII*

cap.

cap. 57. ait : *Sed bellum Hermunduris prosperam, Celtis exitiosus fuit ; quia victores diversam aciem Marti, ac Mercurio sacravère, quo voto equi, viri, cuncta victa occidioni dantur.* Idem de Suevorum nobilissimis Semnonibus tradit mem. Tacit. *de M.G.c. XXXIX. Stato tempore in silvam, auguriis patrum & prisca formidine sacram, omnes ejusdem sanguinis populi legationibus cœunt, CÆSOQUE publicè HOMINE, celebrant : barbari ritus ! horrenda primordia !* Plurima exempla humanarum victimarum suis auctoritatibus munita affert Cluv. *Lib. 1. c. 35. à pag. 303.* Quod nec aliis Gentibus erat peregrinum, ut pluribus demonstrat Laud. Auctor *d. l.* Id ipsum testatur de Gallis Germanorum consanguineis Strabo *lib. 4.* Nec non Cæsar belli Gallici *comment. VI.* & Dionysius Halicarnassensis, *Antiquit. Romanar. Lib. 1.* item Mela, *Lib. III. cap. II.* & Plutarchus, in *Lib. de superstitione.* De utrisque Diodorus, *Lib. V.* Romani equidem isti, Græcique auctores, **HUMANARUM** basce hostiarum immolationes, ceu barbaricam, immanémque feritatem in Celtis notant. *Nec injuriâ ! ita enim profectò erat. At non unis tantùm fuit usitata Celtis ; nec in Celtica primùm reperta. Auctor ejus quisquis tandem fuerit, in Asia certè primam ei originem dedit. Unde per omnem terræ orbem, in universas pariter genteis, post inundationem, consuetudo ejus dispersa.* Unde Ovid. *de Ponto Lib. 3.*

Protinus immitem Trivia ducuntur ad aram,

Evincti geminas ad sua terga manus.

Idem de Carthaginensibus lamentatur Silius *Lib. 4.*

Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,

Postcere cæde deos veniam, ac flagrantibus aris.

(Infandum dictu!) parvos imponere natos.

In Asia itaque volunt, hujus detestandi moris ortam originem. Riturum immolandi liberos apud memor. Carthaginenses refert Plutarchus *Lib. de superstitione : Scientes (ita verba ex Græco translata) prudentesque SUOS IPSI LIBEROS sacrificabant. Quibus verò nulla erat proles, ii à pauperibus infanteis, veluti agnos, aut avium pullos, ad eam rem mercabantur. ADSTABATQUE MATER, SINE LUCTU, AC GEMITU. quem si ederet, aut fleret ; pretio multabatur. Infans autem nihilominus maëtabatur.* Omnia ve-

ro

rd ante simulacrum strepitu fistularum tympanorumque opplebantur; ne ejulatus mactatorum exaudiri possent.

IV. Reflexio Hist.

33 Neque deerant Germanis ad sua sacrificia sacerdotēs, quorum præcipua erat auctoritas, aded ut neque animadvertere, neque vincire, neque verberare, nisi sacerdotibus permissum fuerit: verba sunt Taciti de M. G. c. 7. ubi ita pergit: non quasi in pœnam, nec ductis jussu, sed velut deo imperante, quem adesse bellantibus credunt: effigiēsque, & signa quaedam detracta lucis in prælium ferunt. In Comitiiis pariter silentium per sacerdotes, quibus tum & coërcendi jus erat, imperabatur cit. Tacit. c. 11. Inde major sacerdotum erat auctoritas, quàm ipsorum Regum. Sic de Slavis Helmodus Lib. II. c. XII. Rex apud eos modicæ est estimationis comparatione flaminis. De Rugianis Lib. I. cap. XXXVII. Major flaminis, quàm regis veneratio apud ipsos est. Cætare audi, & discce, Illi (Druides) rebus divinis intersunt, sacrificia publica, ac privata procurant, religiones interpretantur: magnòque ii sunt apud eos honore. Nam ferè de omnibus controversiis publicis, privatisque constituunt, & si quod est admissum facinus, si cades facta, si de hereditate, de finibus controversia est, iidem discernunt, præmia, pœnasque constituunt: **SI QUIS AUT PRIVATUS, AUT POPULUS, EORUM DECRETO NON STETIT, SACRIFICIIS INTERDICUNT.** (Et hæc potestas, prò pudor! vix non negatur Christi Vicario) Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, si numero impiorum, ac sceleratorum habentur, **AB IIS OMNES DECEDUNT, ADITUM EORUM, SERMONEMQUE DEFUGIUNT, NE QUID EX CONTAGIONE INCOMMODI ACCIPIANT:** neque iis petentibus jus redditur, **NEQUE HONOS ULLUS COMMUNICATUR.** His autem omnibus Druidibus præest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit, at, si sunt plures pares, suffragio Druidum adlegitur. Paulò post: **NEQUE TRIBUTA UNA CUM RELIQUIS PENDUNT,** militia vacationem, **OMNIUMQUE RERUM HABENT IMMUNITATEM**

TEM. Si tantum potuit superstitione erga pseudo-sacrorum ministros, quantum deberet vera Religio erga veros Christi Domini Vicarios, atque Sacerdotes! Haberent itaque nostri, quod discerent, & imitarentur. At quàm pauci sunt hodie Constantini M. de cujus versùs Clerum reverentia, & existimatione vid. *can. 5. caus. 11. q. 1. §. 1. & can. 41. d. c. & q. §. 1.*

Multò minùs erant Germani nostri superstitionibus vacui, ³⁴ ut qui maximè auspicia, sortésque observabant. *Sortium* consuetudo simplex. Virgam frugiferæ arbori decisam in surculos amputabant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temerè, ac fortuitò spargebant. Mox si publicè consultabatur, sacerdos civitatis, sin privatim, ipse pater familiæ precatus Deos, coelùmque suspiciens, ter singulos tollere, sublatos secundùm impressam ante notam interpretari consueverat. Si prohibuerunt: nulla de eadem re, in eandem diem consultatio. Sin permissum: auspiciorum adhuc fides exigitur. Nec ignotum erat apud eosdem avium voces, volatùsque interrogare. Proprium gentis, equorum quoque præfagia, ac monitus experiri. Publicè alebantur iisdem in nemoribus, ac lucis, candidi, & nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru sacerdos, ac Rex, vel Princeps civitatis comitantur, hinnitùsque, ac fremitus observant. Nec ulli auspicio major fides, non solùm apud plebem, sed etiam apud proceres, & sacerdotes: se enim ministros deorum, illos conscios putabant. Erat & alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorabant. Ejus gentis, cum qua bellum est (sunt verba Taciti de *M. G. c. 10.*) captivum quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum, patriis quemque armis committunt, victoria hujus, vel illius, pro judicio accipitur.

§. III.

De vere apud Germanos Religionis cultu.

AB hoc superstitionum cultu sensim, faventibus Superis, ³⁵ mülque accedente SS. virorum prædicatione, studio, atque labore ad veram fidem perductos legimus Germanos.

nos. Ita commemorat Irenæus *Lib. 1. adv. hæretic. c. 2.* & Tertullianus *adv. Judæos Lib. 7.* in verbis: *Et Germanos, & Scythas, in quibus omnibus CHRISTI NOMEN REGNET.* Licet autem in Germania magna rarior fuerit Christianismi usus, non defuerunt tamen apud eosdem Martyres, qui de Christianæ religionis initiis testantur. In Rhætia, atque apud Augustanos Afra prima reperitur, Digna, Eunomia, Eutropia, quæ tempore Diocletiani Martyrium fuerunt passæ. Inter Marci Velseri opera ab Arnolde edita reperitur conversio, & Passio SS. Martyrum, Afræ, Hilaræ, Dignæ, Eunomiæ, Eutropiæ, quæ Augustæ Vindelicorum passæ dicuntur. In Noricum ripense Laurentius quidam vel à D. Petro, vel Marco Evangelista, vel hujus discipulo Hermagora missus traditur, quem plures secuti, potissimum Florianus, ex tribuno militum Christianus, & Martyr, & Narcissus. Pleniùs de hisce Norici Apostolis egit idem M. Vels. *Rer. Boic. lib. 3. p. 91.* Addatur ejus Comment. ad conv. S. Afræ *pag. 475.* Temporibus Commodi Imp. Lucius Britannorum Rex factus Christianus unà cum Emerita apud Rhætos martyrium dicitur passus. Idem Vels. *Rer. Boic. cit. pag. 91.* Sensim dein per Francorum potissimum victorias à seculo quinto magis, magisque Christi fides introducta, & postmodum indefessâ operâ S. Bonifacii (qui exinde Germaniæ Apostolus merito prædicatur) stabilita fuit. S. Bonifacius (sunt verba Mariani Scoti *ad An. 719.*) à Præsule Sedis Apostolicæ Gregorio, Moguntiacæ civitati metropoli Germaniæ Archiepiscopus ordinatur, & legatus Germanicus Romanæ Ecclesiæ in Franciam mittitur, qui prædicatione sua multos Thuringorum populos, Hassorum, & Austrasiarum ad fidem rectam, à qua diu aberraverant, convertit. Monasteria sexûs utriusque primò instituit in Germania. Hunc iisdem verbis sequitur Gobelinus *Persona Cosmodr. et. VI. c. XXXVII.* David Chytræus *oratio de Westphalia p. II.* Bonifacium appellat Germanorum Evangelistam, & Apostolum, qui Evangelium docuerit in Bavaria, Franconia, Thuringia, Hassia, Frisia: Saxones verò Carolus tum religionè, cum virtutibus, tum etiam potentiâ verè Magnus, ut

con-

constat ex ejus vita, destructâ, ceu supra notatum, Irmensulâ, atque fundatis Episcopatibus ad Christiana sacra perduxit. Hinc introductâ sensim salvifica Religione, quivis populus suum natus fuit converforem, atque Apostolum. Præter Bonifacium enim, Francorum Apostolus dicitur Kilianus: Bojorum Emmeramus, Severinus, atque Rupertus: Saxonum Ansgarius: Otto Bambergensis Pomeranorum: Servatius Tungrorum: Amanus, Florentius, & Arbogastus Alsatorum: Gallus, & Columbanus Helvetorum.

Reflexio Historica.

Si fides circa dicta (quod absit!) vacillat, consulatur de S. 36 Kiliani prædicatione, ejusque præclarâ sanctimoniâ Serrarius, qui de eo libellum edidit. Eyring. *de orb. & progr. Religionis Christianæ* §. 7. Lexicon Sanct. germanicè in lucem datum. De S. Severino vid. Avent. *Annal. Boic. lib. 3. c. 1. 2. & 3.* De D. Ansgario, seu Anshario ita scribit Adam. Brem. *lib. 1. c. 15.* „Ludovicus Imperator novam in Saxonia Cosbejam exorsus, religiosissimos Franciæ Monachos ad illud congregavit cœnobium, inter quos præcipuus legitur sanctissimus Pater noster Philosophus Christi Ansharius, vitæ, atque scientiæ meritò clarus, & omni Saxonum populo acceptus. „ Ottonem commendat; dilaudâtque Helmold. *lib. 1. c. 40.* his verbis: „ In diebus illis claruit vir insignis sanctitate Otto Bauenbergensis Episcopus, qui invitante pariter, & adjuvante Bolizlao, Polonorum Duce, Deo placitam adiit peregrinationem ad gentem Slavorum, qui dicuntur Pomerani, & habitant inter Odoram, & Poloniam: Prædicavitque Barbaris verbum Dei, Deo cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis; Omnemque gentem illam cum Principe eorum Wercezlavo convertit ad Dominum, permanetque fructificatio divini laudis illic usque in hodiernum diem. „ Eadem ferè verba sunt Alberti Stadenſis *ad Ann. 1118.* Gobelinus *Persona Cosmodr. et. VI. c. LVIII.* Krantzius *Vandalia Lib. III. c. XXVIII.* Huc faciunt versus:

Anno milleno centeno bis duodeno

Otto pius fanis fit Apostolus Pomeranis.

- 37 Minus de D. Emmeramo dubitare finit ejusdem Mausoleum, quod in Principali modò, ac Immediata Magni hujus Taurinurgi, & Martyris Ecclesia Ratisbonæ ostenditur. Extat specialis de hoc tractatus de An. 1680. Et alius de ejus vita, & Martyrio An. 1726. à Rev. mo Præsule Anselmo in lucem datus: ubi meritò hac Epigraphæ decoratur:

Hæc, quis condatur, dubitas, sub mole, viator?

*Hic sacer Antistes, nulli pietate secundus,
Emmeramus adest, aliena ob crimina læsus,
Insons infantis, gradiens vestigia Christi.*

A P P E N D I X

De Diis Salisburgensium.

- 38 **S**alisburgenses speciales habuisse Deos, quantum nobis constat, non legitur. Quin tamen hæc Provincia usque ad adventum S. Ruperti, hoc est, usque ad An. circiter 582. sub Childeberto II. Francorum Rege in infidelitatis tenebris sepulta jacuerit, vix est dubitandum. Hujus rei testem adducimus omni exceptione majorem. Quis iste? Primus & Princeps historicorum, & historię lumen S. R. E. Cardinalis Cæsar Baronius, qui ad An. Christi 590. num. 41. sic refert: „Ad ista
„tempora referri posse, videtur Bajoaricorum ad fidem Christi
„conversio, annuntiante illis Evangelium viro sanctissimo Ru-
„perto Episcopo Vangionensi in Gallia: qui à Berchario loci
„Comite dira passus, solùmque vertere coactus, DEI nutu ad
„Borealium conversionem populorum accinctus, Boreales Syl-
„vas penetrans, rigescentia adhuc impietatis glacie corda gen-
„tilium Christianæ fidei prædicatione calefecit, atque igne Di-
„vini Spiritûs inflammavit. Ista quidem tam grandia cœpta
„Childeberti Regis Francorum anno secundo (ut ejusdem San-
„cti acta testantur) in hunc annum, & ulterius propagata no-
„scun-

„scuntur. Porro, quod de Childeberto dicitur, non ad pri-
 „mum Childebertum, sed ad secundum potiùs, quem post Pa-
 „trem suum Sigebertum regnare cœpisse, diximus anno 579.
 „esse referenda in notis ad Romanum Martyrologium testati
 „sumus. „ Ita Baronius, cujus in alleg. Martyrolog. hæc ver-
 „ba sunt : „ Floruit temporibus Childeberti secundi Regis Fran-
 „corum, & Theodoberti ejus filii. Hic Bavariz Apostolus di-
 „ci meruit. „ Sic ibi. Baronio indubitatè adstipulatur Henricus
 „Spondanus, ejusdem Epitomator, An. Christi 580. qui gra-
 „vioribus etiam verbis idem confirmans. „ Hoc quoque (in-
 „quit) „ tempore cœptam constat NB. BAJOARIORUM, sive
 „BOJORUM, aut BAVARORUM è gentilismo NB. CON-
 „VERSIONEM ad fidem. „ Et postquàm dixisset, ista non
 „sub Childeberto primo, sed secundo evenisse, subdit. „ Erat
 „tunc Bajoariz Princeps Theodo, hujus nominis Tertius, cu-
 „jus Conversionem reliqui ei subjecti secuti, pariter effecti
 „sunt Christiani. Unde factum est, ut ipse RUPERTUS BA-
 „JOARIORUM APOSTOLUS sit meritò nominatus &c. „
 „Id ipsum exinde deducit, & confirmat noster P. Josephus Mez-
 „ger in sua *Hist. Salisb. diff. prælim.* quam post ingressum ita pro-
 „sequitur : „ Ut verò in ipso limine me aperiam, nostrorum an-
 „tiquissima traditio est circa annum Domini 582. S. P. Ruper-
 „tum Ecclesiz S. Petri, & unà totius Episcopatus jecisse funda-
 „menta, ut apertè testatur Catalogus Abbatum S. Petri, non
 „sine maturo delectu, in lucem editus à D. Alberto Abbate S.
 „Petri, Anno à partu Salutis M. DC. XLVI. Consentit Pro-
 „prium Salisburgense: quod etsi annum foundationis non expri-
 „mat, tamen sub Childeberto II. D. RUPERTUM statuit. Ex
 „quo facilè conjicitur subsequens sub eodem Rege Francorum
 „Boicæ conversio.

Nec aliter sensit Hund. *Metr. Salisb. pag. 1.* ubi rem hanc ab 39
 origine repetens ita narrat : „ Erat Rupertus (quem priùs à
 „Theodome vocatum refert) „ vir omni virtutum laude cumu-
 „latissimus, raræque pietatis & sanctitatis exemplo maximè
 „conspicuis, ita, ut multos eâ, qua florebat apud omnes, mo-

„rum vitæque sanctitate pariter, & sermonum gravitate ad fi-
 „dem Christianam converteret: Venientem illum unà cum
 „duodecim sociis, jussu Theodoperti Regis Soceri sui, Theodo
 „benignissimè excepit, eundemque unà cum suis subditis avi-
 „dissimè audivit.

40 „Primùm igitur, Dei Opt. Max. benignitate aspirante, Dux
 „Theodo cum Filio Theodoperto, & aliis Reginoburgii, aqua
 „coelesti lustratus est; deinde D. Rupertus, acceptâ licentiâ,
 „Evangelium Christi in tota provincia liberè annuntiandi, in
 „Danubio navibus delatus, Laureacum pervenit; Inde per No-
 „ricum Utinum (nunc Ottingam) perrexit, ubi Uttonem Du-
 „cem, postea Pisonii, quæ Civitas Germaniæ nunc Potzn di-
 „cta, Dietpoldum Ducem, fratres Theodonis, unà cum aliis
 „innumerabilibus, sacro lavacro abluit; Hinc Bojorum Apo-
 „stolus dici meruit. Utini tum, atque Reginoburgii, in ho-
 „norem Dei, ejusque gloriosæ Genitricis, juxta Principum
 „prætoria, templa sunt extructa, & à S. Rudperto dedicata:
 „Utrumque adhuc vetus Capella appellatur. Paulò post: Dux
 „Theodo Pontificiam sedem, primò propè Lacum Valerium,
 „apud Nariscos, ubi Phischam Amnem effundit in pago Ater-
 „geu, extruxit vestigialibus, & redditibus dotavit: sed, cùm D.
 „Rudpertus Juvavium Cathedrali sedi magis idoneum judica-
 „ret, Theodo Dux oppidum illud cum castro superiori, ter-
 „minis, ac finibus suis gratitudinis ergò liberè donavit: Ponti-
 „ficia sede eò translata, duo ibi templa dedicata sunt: Alterum
 „beato Petro, Apostolorum Principi pro viris: Alterum in
 „editiori parte Montis subtus arcem, pro sacratis Virginibus,
 „quod Nunberg vocant, à Ducibus liberalissimè dotata; Col-
 „legio Virginum præfecit S. Rupertus Erntrudim, Sororem
 „suam, quæ in monumentis Salisburgensibus aliàs ipsius Nep-
 „tis vocatur. Theodopertus prædicti Theodonis fundatoris fi-
 „lius dedit Ecclesiæ Salisburg. villam Titmaningam, circa An-
 „num 582. (testatur Arno Episcopus, qui tempore Caroli Ma-
 „gni vixit) Episcopatui, & Ecclesiæ S. Petri ipse S. Rupertus plu-
 „ribus annis sanctissimè, atque utilissimè præfuit. Hæc Hundius.

I. Re.

I. Reflexio Hist.

Cæterùm præteriri haud debet, verum Dei cultum, ut 41
narrat Illustr. de Dücker *ubi supra pag. 2.* jam ab Ecclesiæ incu-
nabulis in vicinia nostra (Cur non & Juvavii?) viguisse, quod
satis probabiliter ostenditur ex verbis, qui referuntur ab eo-
dem Historiographo *loc. cit.*

Aspicias exiguam nec magni nominis urbem,

Quam tamen æternus curat, amatque Deus.

Hac de Laureaco reliquæ est: his Marcus in oris

Cum Luca, Christi dogma professus erat.

Erat Laureacum sedes Præsidum Romanorum continens in se
Onasum, vulgò *Ens*, ajuntque S. Laurentium D. Marci Evan-
gelistæ discipulum primum, vel Episcopum, vel Parochum hu-
jus urbis extitisse.

II. Reflexio Hist.

Minùs licebit originem Archi-Episcopatus nostri Salisbur-42
gensis silentio involvere. Floruit hæc Respublica sub Illustris-
sima Sanctitate novem Præfulum, seu Episcoporum usque ad
annum circiter 786. ubi exemptò rebus humanis Berthricò S.
Virgilii ad breve tempus successore, circa annum Christi 786.
sedem Salisburgensem conscendit Arno Abbas. Hic vir prudenti-
tæ, sapientiæ, eloquentiæ, &, ut Hist. Salisburgensis dilaudat,
aliarum virtutum dotibus ad maxima natus, ac clarus, mox
Principibus aliis, præsertim verò Thassiloni Bavariz Duci, cum-
primis charus esse coepit: cui vicissim tantùm detulit, ut pro
eo legationem, in negotio pacis cum Carolo M. comite Hen-
rico Abbate Monseensi subire non recusaverit. Cùm autem
ab hac Legatione, re infectâ, redire coactus fuerit, nimiùmque
rebus Thassilonis contra Carolum M. adhæserit, non parùm
ejus animum à se alienasse fertur. Verùm, exauctorato Thassi-
lone, facilè in gratiam rediit. Excusabat Antistitem ipsa neces-
sitas, quâ Principi vicino, & addicto tenebatur adstrictus. Pa-
trocinabantur verò conspicua virtus, ac animi, corporisque do-
tes, quæ magnis officiis parem fecerant. Itaque mutato Prin-
cipe,

cipe, non mutatus Arno: qui Duci antea; nunc Regi, & Imperatori Maximo charus, ac familiaris esse coepit. Cernebat. Carolus, qui Bojariz tunc possessionem adibat, inter omnes hujus regionis Præsules tantum emicare Arnonem, quantum inter sidera Solem.

43 Maximum profectò (ut cætera de ejusdem animarum zelo, charitatis fervore, laborum tolerantia, linguæ facundia, ac quòd plus unâ vice Caroli præsentia Salisburgi honoratus fuerit, taceamus) meritorum Arnonis, & gratiæ apud Carolum M. argumentum est, quòd hujus interventu Arno obtinuerit Archipræsulis Bojariorum dignitatem, perpetuâ postmodum successione in Ecclesia Salisburgensi splendidissime, & maximo Religionis incremento propagatam. Id factum anno Verbi Incarnati DCCII. Clavum Petri tenente Leone III. in tertium annum, Carolo in regno Italico, seu Longobardico in 25. tum in Francico verò in 30. tum imperante.

44 Huc multum contulit auctoritas Caroli; sed majus pondus addidit Ecclesiæ Salisburgensis merita recentia, & Episcoporum aliorum Boicæ Nationis (inter quos etiam Waltericus ipse Pataviensis nominatur) ad S. mum S. Sedis Præsulem Leonem III. directæ preces, seu postulatio, veluti patet ex Bulla altè fati S. Pontificis, quam P. Mezger ubi supra *Lib. 6. pag. m. 1009.* refert. Percepimus Originem tum Provinciæ, tum Archi-Dioceseos Salisburgensis: Progressum (præsertim sub Clementiss. quæ modò flexo poplite veneramur, Auspiciis) & terminum. conservent felicissimum, & incolumem Superi usque ad alterum Christi Domini Adventum.

III. Reflexio Hist.

45 Juvat ad affundendum dictis majus lumen paucissimis facta, & fata Thassilonis ex historia Salisburgensi synopticè referre. Erat hic Utilonis Bojariz Ducis filius, & successor, pietate, aliisque animi dotibus omninò insignis. Post paucos sui regiminis annos, Christi videlicet 777. deplorandum sanè casum, qui cum maximè affixit, magnifico tamen operi occasionem præ-

præbuit, expertus est. Guntherus ejus filius Princeps juvenis spei maximæ, dum in Austriæ sylvis feras sequitur, ab apro miræ magnitudinis prostratus, morti in prædam cedit. Tristissimum nuntium, tristius spectaculum summo dolore Patrem affecit: At succedente luctui pietate, statuit in memoriam dilectæ proliis, ac unâ propitiando Numini, præferendæque religioni monumentum, & mausoleum condere, posteritati memorandum. Accessit divinum omen, cervus cornibus faces præferens, locumque condendo templo commonstrans. Thassilo igitur eò loco insignem Basilicam, & nobile Asceterium illud, quod à vicino amne CREMBSMÜNSTER, seu CREMIFANIUM dictum, struxit, dotavit, & auxit: Vulgo notissimum est, hoc Asceterium adhuc hodie pietate, doctrinâ, observantiâ, Religiosorum numero, virisque sanè præstantissimis, nec non uti rebus literariis, ita & opibus instructissimum florere. Plura hujusmodi edidit pietatis suæ laudabilissima monumenta Princeps ille magnificè Pius: Unum est Collegium Matticense, (vulgò Mattfee) ditioni Salisburgensi quoad sæcularia, Diocesi tamen Passaviensi hodie in rebus Ecclesiasticis subjectum: Alterum est Parthenon regius insulæ Chiemensis (vulgò Frauenz Wörb) quem idem Thassilo condidit, dotavit prædiis, privilegiis, & libertatibus ornavit. Avitis provinciis, toti Baviaræ, Superiori Austriæ, Tyroli, Styriæ, etiam Carinthiam adjece- rat, cui filium suum alterum Theodonem Principem præfecit. Tantas ditiones, quibus cunctis antecessoribus latius domina- batur, solus tenebat. Sed hem! dum summa blandiebatur fortuna, in imam, versâ aleâ, dejicitur: Hæc quippe suas vi- ces & vires, risum, lusum, & luctum ostendit. Thassilo par Re- gibus, ubi regiam affectat coronam, Ducali pileô exuitur, ti- mendâ Magnatibus, quibus sors in summo est, metamorphosif. Rota nempe volvitur: clavum fortuna non patitur. Res ita narratur.

Thassiloni, quem piùm adedò suprà vidimus, & latè impe-⁴⁶ rantem jam exhibuimus, conjugio jungebatur Luitpurga, filia Regis Longobardorum Desiderii, quem, cùm postea Carolus

K

Ti.

Ticini captum regno exuerit, ac Bertam ejus filiam Luitpurgis sororem contra SS. Canones sibi matrimonio copulatam dimiserit, invadit Luitpurgis animum tum vindicta, tum ambitio, utraque muliebri sexui non raro familiares: Regis filia Reginæ nomen affectabat: Thassilo moderati aliàs ingenii Princeps, fortunæ tamen, & potentia magnitudine, plus verò uxoriis stimulis, & lacrymis impulsus, turpe ducere cœpit, pati affinis domus injuriam, & Imperium Franci, Regique extero penè serviliter parere. Itaque cum Carolus religionis causâ Romæ versaretur, hac usus occasione, contempto foedere, anno circiter 770. antea cum Rege icto, in hostilia arma prorupit. Reper Legatos tam ab Hadriano Pontifice, quam à Carolo in Bojariam missos compositâ, pax quidem sancitur: Luitpurgis verò ambitio exinde non satiatur: Urget, instat, improbat Thassiloni, meminisset, se virum, se Principem esse. Permoveet Maritum vel nimis uxorium, vel nimiùm sui amantem ad reassumenda belli consilia: sequuntur apparatus Carolo satis suspecti. Dux Thassilo, ne citiùs, quam vellet, conatus pateſcerent, sub confirmandæ pacis specie, viros egregios, & sibi præ aliis charos, Arnonem Episcopum nostrum, atque Henricum Abbatem Monſeensem, Romam, ubi tunc iterum Carolus agebat, ablegavit, ut Pontifex mediâ suâ auctoritate, dissidentes, aut dissidentes firmiùs jungeret: Et quamvis Pontifex operam suam seriò interposuerit; quia tamen Legati nullas certas à Thassilone constantis fidei, & foederis conditiones attulerant, nil boni Romæ suspicabantur: re igitur infectâ, domum remissi, nil aliud retulerunt, quam à Carolo præſentes belli minas, à Papa etiam fulmen Ecclesiasticum, ni Thassilo arma poneret, & fidem redintegraret. Nec segnis Carolus tribus exercitibus minas exequitur. Hoc apparatu Bojus conterritus pacem rogat, & à miti Principe, datis cum filio Theodone 12. aliis obſidibus, obtinet.

47 Hæc omninò sufficere debebant, ut Thassilonem in officio continerent. At Luitpurgis Ducem eò pertraxit, ut non solum foedus rumperet, sed etiam Francorum, & Bojorum, imò Chri-

Christiani nominis hostes Hunnos conduceret. Ingens ab his impendebat periculum, nisi, re cognitâ, Carolus celeritate quâ potuit maximâ impium belli apparatus prævenisset. Indictis Ingelheimii ordinum comitiis, Thassilonem nondum ad bellum satis paratum, ad dicendam causam vocavit. Comparuit, & læsæ Majestatis reus communi Procerum calculo damnatus à Carolo veniam quidem impetravit, Ducatu tamen exauctoratus cum filio Theodone in Cœnobium Laurisheimense (est non procul Wormatiâ) relegatur. Illic, susceptô Monachi schemate, in ultimam ætatem sanctè vixisse, ac post mortem prodigiis fulsisse fertur: Carolus quoque M. post multos annos, illuc appulsus, cum nocturnis in precibus vigil seni oculis caliganti, ducem, aut comitem ire Angelum cerneret; comperto, quis esset, in genua demissus, veniam ab eo exorâsse, seque precibus commendâsse dicitur. Epitaphium Thassiloni Monachatu, quàm Principatu longè feliciori, Laurissæ positum sequens legitur:

Conditur hâc foveâ, quem pie Cbriste bea.

Thassilo Dux primum, post Rex, Monachus sed ad imum.

Idibus in terris decefferat iste Decembris.

Sic Illustrem hanc domum Agilolfingicam, quæ in Theodone cœperat, annisque 280. sceptrum Boicum tenuerat, in Theodone Thassilonis filio An. Christi 788. cecidisse, tradunt.

SECTIO QUARTA.

De Statu Civili.

Veterum Germanorum Statum Ecclesiasticum excipit civilis, qui omnem in se complectitur Reipublicæ Germanicæ constitutionem. In statu hoc civili, seu politico genericè sumpto tria nobis veniunt in specie consideranda: Status nempe Civilis in specie, Militaris, & Oeconomicus; de duobus posterioribus *Seç. seqq.* de hoc sit

§. I.

De Statu Civili in specie, nec non de Civitatibus, Vicis, & Pagis.

1 **P**Ræprimis nē credas velim, Germaniam viguisse, ut modò res se habet, sub uno Rerumpublicarum inter se connexarum systemate, sed tot erant Reipublicæ à se invicem independentes, quot populi. Tacitus enim, ubi de Germanis loquitur, eos secundùm gentes distinguit. Ita colligimus ex c. 27. de M. G. Ibi: *Hæc in commune de omnium Germanorum origine, ac moribus accepimus. nunc singularum gentium instituta, ritusque quatenus differant: quæ nationes è Germania in Gallias commigraverint, expediam.* Agnovit id ipsum Monzamban. c. I. §. 2. *Tam vastum, inquit, terrarum spatium complures quondam populi insedère, numero imprimis & robore virorum validissimi. Quorum singuli tamen ferè suam sibi civitatem constituebant à reliquis distinctam, nisi quas lingue, morumque similitudo, atque communis origo jungebat.*

2 Porro, uti in aliis Rebuspublicis, ita & Germanica rursus tria occurrunt enodanda: Civitas, Pagus & Vicus.

CIVITAS integrum notabat populum: Singulas dividebant in certos PAGOS; hi verò certam aliquam regionem sive districtum, qui modò erat major, modò minor, atque idem, quod Helveti vocant *ein Canton*, denotare solebant. Hinc etiam ab Antiquis sæpè provinciæ, atque regiones appellantur. Hæc innuunt ea, quæ habet Cæsar de B. G. I. c. 12. ubi ait: *Omnis civitas Helvetiæ in quatuor pagos divisa est.* Et paulò post: *quæ pars civitatis Helvetiæ insignem calamitatem Populo Romano intulerat.* Sic Tacitus de M. G. c. XXI. civitatem dixit Hermandurorum: De Cimbris c. XXXVII. ait: *Parva nunc civitas, sed gloria ingens.* Eadem ratione idem Tacitus Ann. XIII. c. 57. Civitati Juhonum villas, vicos, & arva tribuit, dum ait: *Sed civitas Juhonum socia nobis, malo improvise afflicta est. Nam ignes terra editi, villas, arva, vicos passim corripiebant, ferebanturque in ipsa condita nuper Colonie mœnia.* Ejusmodi regiones vocabant Germani GOVAS: quare tot supersunt adhuc provinciæ, atque

que regiones, quæ in Gau desinunt, utpote das Rbeingau, Breysgau, Sundgau, Wasgau, Turgau, Algau, Ergau, Speieryau, Creichgau, Zürchau, Nordgau, Hennegau, quæ ex istis govis nomen traxere. Distinguebantur inter se *Au*, & *Gau*, seu variantibus dialectis *Gavo*, *Güvv*, *Gevv*, *Gövv*, *Govv*, ceu testatur Cluv, *Lib. 1. c. 13. pag. 113.* Inde fluunt Breysgaw, Nordgaw, Hennegaw &c. Illud campum, sive pascuum; hoc districtum, seu regionem indicabat. vid. Grot. *Proleg. ad Scriptores hist. Goth. pagin. 3.* Lechmann. *Cbron. Spir. Lib. 1. c. 18.* Quælibet Gova divisæ erat in suas *Hundredas*, quas Romani *Centenas* vocabant, quæ à centum circum circa familiis, quas continebant, denominabantur, iisdemque Centeni præerant: Ex quo apud Francos judicia Centenæ die Centgerichte, sive Criminalia orta fuissent videntur. Inde pariter derivantur die Centgraven, qui unà cum ipsis terris etiam dicebantur *Ambachte*, *Ambechte*. Hodie contractè *Ambt* (quod nobis quodlibet officium est) Cluv. *cap. 13. in fin.* Huc spectant, quæ habet Tacit. *cap. 12.* Eliguntur in iisdem conciliis & Principes, qui jura per pagos, vicosque reddunt. Centeni singulis ex plebe comites, consilium simul, & auctoritas, adsunt.

Vicos describit ipse Tacitus c. 16. his verbis: *Nullas Germanorum populis urbes habitari, satis notum est, ne pati quidem inter se junctas sedes. Colunt discreti, ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant, non in nostrum morem, connexis, & coherentibus ædificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia ædificandi. Ne cœmentorum quidem apud illos aut tegularum usus; materia ad omnia utuntur informi, & citra speciem, aut delectationem. Quædam loca diligentius illinunt terrâ ita purâ, ac splendente, ut picturam, ac lineamenta colorum imitentur. Solent & subterraneos specus aperire, eosque multò insuper fimo onerant, suffugium biemi, & receptaculum frugibus: quia rigorem frigorum ejusmodi locis molliunt: & si quando hostis advenit, aperta populatur: abdita autem, & defossa, aut ignorantur, aut eo ipso fallunt, quod quærenda sunt. Mos Germanorum, scribit Strabo Lib. 7. pag. 291. Est in casis habitare structurâ in unum diem constantibus.*

4 Cùm autem juxta Tacitum coluerint discreti ut *fons*, ut *campus*, ut *nemus* placuit, occasionem hoc dedit vicorum nomina in *born*, *feld*, & *wald* terminandi, qualia antiquissimorum locorum nomina adhuc supersunt. Accesserunt postea à lucis terminationes in *hain*, à montibus in *berg*, vel ab ipso vici nomine vernaculâ in *dorf*. Sæpiùs quoque addito populi, conditoris, domini, vel sitûs nomine terminantur in *hausen*, *stetten*, *beim*, quod idem est ac *beimatb*. Plures ejusmodi terminationes cum suis derivationibus refert Cluv. *Lib. 1. c. 13. pag. 106.*

5 Terras Germaniæ potissimùm fuisse horridas, minúsque cultas variis locis vult Tacitus. Hinc c. 2. ita exclamat: *Quis porro Italiã relicã Germaniam informem terris: asperam cœlò: tristem cultu, aspectûque peteret? Nec mitiùs c. 5. describit: Terra etsi aliquantò specie differt, in universum tamen aut silvis horrida, aut paludibus fœda: humidior, quàm Gallias, ventosior, quàm Noricum, ac Pannoniam aspicit: satís ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fœcunda, sed plerúmque improcera. Incultam dicit: c. 26. Ibi: Arva per annos mutant, & superest ager. Nec enim cum ubertate, & amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conferant, & præta separent, & hortos rigent. sola terra seges imperatur.*

I. Reflexio Histor.

6 PAGOS, & VICOS inter se distingui, traditur tum à Cæsare, cùm à Tacito. Ille de *B. G. Comm. VI. In pace nullus communis est magistratus: Sed Principes regionum, atque pagorum inter suos jus dicunt, controversiãsque minuunt. Iste: Eligunt Principes, qui jura per pagos, vicòsque reddunt. Vocis originem derivat Henr. Bebelius in *spicilegio pag. 126.* à vernaculo *Pach*, „*Pagus*, inquit, videtur à nobis dici vulgò *Pach*, id est rivus, vel villæ multæ juxta rivos positæ; Πηγή enim latinè fons dicitur: & (ut dicit *Servius II. Georg.*) *Pagi* ἀπὸ τῶν πηγῶν, id est à fontibus dicuntur, circa quos villæ consueverunt condi. Unde non est credendum, quòd centum tantum fuerint pagi Suevorum, id est ville, qui (ut *Cæsar* & multi alii testes sunt) quotannis centena millia hominum in bellum mit-*

mittebant. Pagum intelligo tractum alicujus totius fontis, & fluvii, ex quo illi pagum communiter habebant, mille homines educebantur.

Durasse, ajunt, hunc morem ad mediam ætatem usque; 7
Hinc in Diplomatum, atque donationibus monasteriis concessis, semper pagus, atque comitatus, in quo terræ dono datæ sitæ erant, exprimitur. Desiit verò hoc nomen Pagorum, postquam terræ factæ fuerunt hæreditariæ, atque Pagi in Ducatus & Comitatus fuerunt immutati. Plenius de iisdem egerunt Cluverus *G. A. Lib. I. c. XIII. p. 113.* Andr. Althamerus in *Taciti Germaniam p. 29.* Stumpf. *Cbron. Helvetiæ Lib. VII. c. XXI.* Marquardus Freherus *origg. Palatinis Lib. I. c. V.* qui Catalogum Pagorum Germaniæ sub Carolingis exhibet, & pagum Rhenensem uberius explicat. De Pagis Saxoniz speciatim egit Henricus Meibomius, & alii.

II. Reflexio Hist. Critica.

Illud sanè non caret crisi, quòd Tacitus *c. 16.* cujus verba 8
(§. 1. hìc) retulimus, neget Germanis fuisse urbes. Locus Taciti duo quidem indicat; discretos nempe, & etiam in vicis congregatos habitasse. Illud equidem omni prorsus caret dubio, antiquissimos Germaniæ populos fixas ædes, aut domos (hinc multò minùs urbes) non habuisse. De Fennorum Gente omnium Germanorum versùs Septentrionem, & Orientem extrema ita narrat Tacitus *c. ult.* *Fennis mira feritas, fœda paupertas, non arma, non equi, non penates: victui herba, vestitui pelles, cubile humus. Sola in sagittis spes, quas inopiâ ferri offibus asperant. Idemque venatus viros pariter, ac fœminas alit. Passim enim comitantur, partemque præda petunt. Nec aliud infantibus ferarum, ignibriumque suffugium, quàm ut in aliquo ramorum nexu contegantur. Huc redeunt juvenes, hoc senum receptaculum. Id beatiùs arbitrantur, quàm ingemere agris, illaborare domibus, suas alienasque fortunas spe, metuque versare.* Id tamen de omnium mortalium genere tradit. Ovid. *Meth. Lib. 1.*

*Tum primùm subière domos. domus antra fuerunt;
Et densi frutices, & junctæ cortice virgæ.*

Et

Et Juvenalis, Satyra VI.

*Credo pudicitiam Saturno rege moratam
In terris, visamque diu: cum frigida parvas
Præberet spelunca domos; ignemque, lavemque,
Et pecus, & dominos communi clauderet umbrâ.*

De Germanis nostris in specie Seneca de Ira Lib. 1. c. 11. Germanis, inquit, quid induratius ad omnem patientiam, ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum provisa sunt, non suffragia adversus perpetem cæli rigorem? Jungantur, quæ habet Strabo lib. 7. „Communis omnibus Germaniam incolentibus est mos, facillè, atque expeditè solum mutare, ob tenuitatem victûs, tum quòd neque colunt agros, neque fructus recondunt: sed in casis habitant, structurâ in unum diem constantibus. Cibus autem eis plerumque è pecore, ut Nomadibus, ad quorum etiam imitationem, rebus suis in currus impositis, quocumque visum, cum pecore abeunt. „ Rem adhuc clariùs exponit Cæsar de B. G. comm. VI. Ibi: *Agriculturæ, inquit, non student; majorque pars victûs eorum in lacte, & caseo, & carne consistit. Neque quisquam agri modum certum, aut fines proprios habet, sed Magistratus, ac Principes in annos singulos gentibus, cognationibusque hominum, qui unâ coierunt, quantum eis, & quo loco visum est, attribuunt agri, atque anno post aliò transire cogunt. Et comment. IV. Sed privati, ac separati agri apud eos nihil est. Neque longiùs anno remanere uno in loco, incolendi causâ, licet.*

- 9 Indubium etiam est, sibi successu temporis de habitaculis, ac ædificiis prospexisse: ut colligitur ex Cæsar. de B. G. cit. Lib. IV. ubi de Tenctëris, & Usipetibus Rhenum transgressis sic scribit: *Quas regiones Menapii incolebant, & ad utramque ripam fluminis agros, ÆDIFICIA, VICOSQUE habebant.* Diu pariter tegularum usus juxta superius Taciti testimonium deerat. Id quod innuit idem Cæsar Comm. V. de Nervii oppugnatis his verbis: *Septimo oppugnationis die, maximo coorto vento, ferventes fusili ex argilla glandes fundis, & fervescantia jacula in casas, quæ more Gallico STRAMENTIS ERANT TECTÆ, jacere cœperunt.* Quod similiter habuerint pededentim congregata ædificia præter Tacitum, ubi

ubi supra, testatur variis auctoritatibus suffultus Cluv. *cit. Lib. 1. c. 13. pag. 110. & seq.* simulque addit, ejusmodi vicos, ut appellat Tacit. nostris modò (quidquid olim fuerit) dici villas corruptâ linguâ villagia, italicè villagi, gallicè villages) Burgundionibus Burgos (Burg) quò vocabulò indicabatur illis congregatio domorum muris haud circumsepta.

Jam esto ista planiora videantur, incertum tamen manet, 10 quando coeperint urbes? Sunt equidem, qui etiam Taciti ætate Germanis urbes fuisse, contendant, cum Cæsar apud Ubios, Suevósque oppida memoret: Ptolomæus quoque ampliùs nonaginta in Germania magna loca recenset Πόλιν nomine. Attamen, licèt oppidum plerumque dicatur de urbe, generalis tamen vox erat, quæ etiam locum notaret inhabitatum quidem, sed muris non circumdatum. Sic etiam Πόλις in generali sensu & urbem, & vicum notat. Imò tam exosæ erant urbes apud Germanos, ut dum Ubii, postquam Rhenum traducti, Coloniam Agrippinensem in ripa conderent, ab iis postularent, ut muros colonix, munimenta servitii detrahant. Rem narrat Tacitus *hystor. Lib. 4. c. 64.* his verbis: *Vobisque gratulamur, quòd tandem liberi inter liberos eritis. Nam ad hunc diem, flumina, ac terras, & cælum quodammodo ipsum, clauserant Romani: ut colloquia, congressusque nostros arcerent; vel, quòd contumeliosius est viris ad arma natis, inermes, ac propè nudi, sub custode, & pretio coiremus. Sed ut amicitia, societasque nostra in æternum rata sint; postulamus à vobis, MUROS COLONIÆ, MUNIMENTA SERVITII, DETRAHATIS. Etiam fera animalia, si clausa teneas, virtutis obliuiscuntur.*

Veritati igitur conformiùs videtur, ante sæculum quintum in Germania Magna, quam Romani trans Rhenanam vocant, vix reperiri urbis cujusdam indicium. Initium fiebat à castris, quæ ad defensionem extruebantur. Sic Würzburgum castellum dicitur. Thuringorum urbs munita Schidinga ad Unstrutam; Saxonum castra erant Sachsenburgum, & apud Westphalos Eresberg, & Sigeberg. Addidit Carolus M. per legatos suos duo castella contra Slavorum incursiones, quorum unum

L

VO-

vocatum ajunt, *Hochburi*, hodie *Hamburg*. Cis Danubium, eminuit potissimum Augusta Vindelicorum. Sic Ratisbona Tiberii, Juvavia nunc Salisburgum Hadriani, Laureacum Aureliani monumentum dicitur. Maximè verò Venedi circa urbes extruendas erant solliciti, inter quas potissimum Pomeraniae Julinum, Wineta, & Arcona memoratur. Utrùm verò fuerint urbes muris circumdatæ, num verò civitates, atque emporia, castraque celebratissima, non plenè constat. Sanè Julinum Krantzio dicitur præclarum Wandalorum emporium, tantis opibus, tantisque mercatorum negotiis frequens, ut vix aliud par illi tum Europa viderit.

- II. Majora urbibus fundamenta, succrescente ætate, dedere, tum Carolus M. tum Henricus Auceps. Quare sæpiùs in Capitularibus Francorum cavetur, ut Episcopi non villulas, sed civitates inhabitarent. Henricus autem, cum adverteret Germaniam incursionibus gentium barbararum patere, non solum ad defendendos fines, marchias instituit, sed etiam urbes munivit, ut tutum præberent receptaculum, & hostes irruentes detinerent. Ordinavit insuper, ut octo agrariorum ad colendum agrum in villis, nonus verò in urbe cum tertia parte frugum remaneret, ne belli tempore civitas vel viris, vel annonâ destitueretur. vid. Wittichind. *Annal. Sax. Lib. I. pag. 639.* Aliiter discurrendum de Germania cis-Rhenana, ubi plures urbes Romanorum auspiciis extructæ referuntur; cum enim Romani in his terris à Julii Cæsaris tempore majores indies facerent progressus, primi etiam urbes, deductis coloniis, condere cœperunt. Plures in eadem urbes, & castella fuisse, patet ex historia Drusi, qui quinquaginta amplius castella per Rheni ripam direxit. *Florus lib. 4. c. XII. de Druso: Præterea, in tutelam provinciarum præsidia, atque custodias ubique disposuit: per Mosam flumen; per Albim, per Visurgim. Nam per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella direxit.* Hæ postea à Transrhenanis, & præcipuè ab Attila multum damni passæ sunt. D. Hieronymus, qui circa sæculi quarti initium vixit, in epistola ad Gerontiam de monogamia scribit: *O lugenda Respublica! hostes Pannonii vastârunt. Etenim Assur (Hun-*
nio-

niorum gens) venit cum illis. Moguntiacum, nobilis quondam civitas, capta, atque subversa est, & in Ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longâ obsidione deleti. Attila, præter Augustam Trevirorum dirutam, Aduacam Tungrorum funditus evertit. Imò plerasque tum Cis-Rhenanas urbes totaliter ab Hunnis destructas observavit Rhenanus *Rer. German. lib. 1.* Sidonius Appollinaris in Panegyrico, quem Avito Socero dixit:

*Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
In campos se Belgæ tuos.*

Constantii Imperatoris temporibus Franci, & Alemanni, & Saxonæ quadraginta urbes ad Rhenum sitas devastasse dicuntur.

§. II.

De Forma Regiminis Germanorum.

FORMAM regiminis apud Germaniz populos, volunt fuisse 2 Democraticam Regiâ, vel Aristocraticâ temperatam, utpote statui militari (qui Germanorum scopus habebatur) magis accommodatam. Probè hoc agnovit Conring. dum *de urbib. Germ.* scribit, non potuisse meram aliquam Democratiam tunc temporis ullo in populo Germanico obtinere. Ubi cunque enim populus rudis est, avidus tamen bellandi sponte suâ statim abitur à pura Democratiz forma, & non nihil Aristocratici statûs suboritur, potestatem quamlibet majorem ipsamet necessitate solis nobilioribus, adeoque prudentioribus imponente. Hertius not. *Vet. Germ. Pop. cap. IV. §. 1. 2. 3.* Ibi: *Næque tamen temperamenta vel regia, vel Aristocratica desuere: De minoribus enim rebus, inquit Tacit. c. II. Principes consultant, de majoribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud Principes pertractentur: Mox Rex, vel Princeps, prout etas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis, quàm jubendi potestate. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur: sin placuit, frameas concutiant. Honoratissimum, assensilis genus est, armis laudare. Framearum mos apud Francos diu durasse, testis est mox laud. Hert. ubi suprâ part. I.*

c. 4. §. 4. Ita Ann. 687. Pippini Ducis orationem acclamationibus simul & armorum concussorum strepitu approbârunt.

13 Ex his satis constare potest, Germanis præfuisse Reges. Ita credas, vult Tacitus tum *loc. mox cit.* cùm c. 7. Ibi: *Reges ex nobilitate; duces ex virtute sumunt. Nec regibus infinita, aut libera potestas; & duces exemplò potius, quàm imperiò, si prompti, si conspicui; si ante aciem agant, admiratione præsent.* Ab his distincti erant Principes, qui jura per pagos, vicòsque reddebant. Inde Tacit. c. 12. *Eliguntur, inquit, in iisdem conciliis & principes, qui jura per pagos, vicòsque reddunt. Centeni singulis ex plebe comites, consilium simul, & auctoritas, adsunt.* Esto negari non possit generali Principum nomine Reges non rarò, ac Duces fuisse comprehensos.

14 Post Germanorum Proceres ad formam Statùs Civilis etiam spectant reliqui ordines, seu personarum Classes, quarum quatuor memorantur; Nobilium (Saxonibus Edlingi) Ingenuorum (Frilingi) Libertorum, & Servorum (Lassi, seu Lazzi) quorum nec Tacitus noster oblitus est. c. 25. De Saxonibus (quod & ad alios Germanos extendi voluit) scribit Adamus Bremensis fuisse *legibus firmatum, ut nulla pars, in copulandis conjugiiis, propriæ sortis terminos transferat: sed Nobilis nobilem ducat uxorem, & Liber liberam; Libertus jungatur libertæ, & Servus ancilla.* Si verò quispiam horum sibi non congruentem, & genere præstantiorem duxerit uxorem; cum vitæ suæ damno componat. Rigida admodùm lex; cùm potius consilium esse deberet, juxta illud: *Si vis nubere, nube pari.* Quòd autem id & ad alios Germanos veteres (si multam excipias) extendi possit, iique semper caverint, ne impari se polluerent matrimonio, virique nobiles in plebejarum, aut plebeji in foeminarum illustrium amplexus ruerent, firmatur tum Ariovisti connubio, ubi indigna Ariovisti toro videbatur alia, quàm nobilis: & hinc Vocionis, Noricorum sive reguli, sive ducis, soror mittebatur; tum & præterea ex Arminii exemplo, qui solam Egestis, viri principis, filiam dignam existimans suo thalamo, eam & invito patri rapuerat. TACIT. *Annal. Lib. I. cap. LV. LVI.* Idem, teste Cluvero, *G. A. Lib. I. c. 15.* præsertim in iis Germaniæ partibus, quæ à Galliz, &

& Italiz finibus, simulque moribus remotiores sunt, quam religiosissimè adhuc observari videmus; non equidem poenæ alicujus præstitutz metu, sed antiquissimâ persuasione: quum omninò se suumque ordinem nobiles homines pollui credant, si quis vel tenuissimâ sorte vir ducat opidanam, licèt ditissimam. Quin etiam & ipsi inter se distinguuntur ordinibus; quorum alter *patriciorum*, alter *plebejorum* dicitur, legibusque apud eos cautum est, ne quis extra ordinem suum uxorem ducat. Indubium sanè est Germanos nostros quoad nobilitatem, quam vocare placet qualificatam (*die Stifftmâssigkeit*) esse, nec sine prudentissima ratione! valdè delicatos.

I. Reflexio Hist. Critica.

Fuisse antiquis Germanis Reges, Tacitus *locis suprâ citt.* ne-15 gare non sinit. An veri? si dubitas; haud ægrè ferimus. Imò nec ipse Tacitus: Ait *Lib. 13. Annal. c. 54.* Verritum, & Malorigem Frisiorum nationem rexisse, addit tamen: *In quantum Germani regnantur*: vult dicere: in quantum Germani se regi patiuntur. Imò Germanis (utì olim, exactis Regibus, ipsis etiam Romanis) Regis nomen fuisse invisum, indicat idem Tacitus *Ann. 11. cap. 44.* Hic ubi narravit, Suevos post discessum Romanorum externo metu vacuos tum gentis assuetudine, tum æmulatione gloriæ arma in se verisse, ita pergit: *vis nationum, virtus ducum in æquo: sed Maroboduum regis nomen invisum apud populares; Arminium pro libertate bellantem favor habebat.*

Cæterùm Duces ipsi, ingruente bello, lecti, Reges dicti videntur, quoniam, ut auctor est Procopius *lib. 1. de Bello Gothico*, Barbari duces suos Reges appellabant. Quidquid tamen sit, fuère civitates, quæ veros Reges habebant. Tacit. *de M. G. c. 44. §. 3. de Sionibus: Est apud illos & opibus bonos, eoque unus imperitat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi.* Idem. *c. 45. §. 11. Suionibus Sitonum gentes continuantur. Cetera similes, uno differunt, quod fœmina dominatur. In tantum non modò à libertate, sed etiam à servitute degenerant.* Rugiorum, & Lemoviorum Insigne dicit. *c. 43. Rotunda scuta, breves gladios, & ERGA REGES*

OBSEQUIUM. Illud addendum, Reges, de quibus haftenus, juxta morem consuetum fuisse electos. Tacit. *IV. hist. 15. §. 4. de Brinione Caminefate: Impositus scuto, more gentis, & sustinentium humeris vibratus, dux eligitur.* Cassiodorus *l. 10. Variar. 31. Indicamus parentes nostros Gothos inter procinctuales gladios, more majorum scuto supposito, regalem contulisse nobis, praestante DEO, dignitatem; ut honorem arma darent, cui opinionem bella pepererant.*

II. Reflexio Hist. Critica.

17. Nolim existimes, quod Plutarchus *Lib. de mulierum virtutibus* innuere videtur, mulieres etiam Consultationibus Germanorum interfuisse, atque sententiam dixisse. Cui opinioni, ut putavit Lipsius, nihil roboris addit Tacitus *c. 8. de M. G. scribens: Inesse foeminis sanctum quid & providum, putant, nec consilia earum aspernantur, aut responsa negligunt.* Locus enim hic non ad consultationes publicas, sed ad auspicia, quae veteres Germani maximè observabant, pertinet. Hert. *ubi supra §. 4.*

III. Reflexio Histor.

18. Praeter Reges, Principes, & Duces quatuor alias populi Classes existisse, superius notavimus, Tacitque auctoritate firmamus. Ait *cit. c. 25. de M. G. Liberti non multum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate, exceptis duntaxat iis gentibus, quae regnant. Ibi enim & super ingenuos, & super nobiles ascendunt: Ab infimis initium facimus.*
19. SERVI erant homines, corpore dominis obnoxii, eà lege, ut & censum & operas dominis praestarent, & ex horum praediis cum familiis alerentur. Non enim Germani, teste Tacito *cit. c. 25. Servis, Romanorum in morem descriptis per familiam ministeriis, utebantur; sed suam quisque sedem, suos penates regebat. Frumenti modum dominus, aut pecudis, aut vestis, ut colono, injungebat. Et haftenus parebant. Secuta tamen major cum Romanis consuetudo, & splendidior vivendi ratio ansam praebuit, ut & hi servos domum reciperent, iisque varia ministeria injungerent; Hinc divisio servorum in*
- CA-

CASATOS, qui & coloni dicebantur, & NON CASATOS, qui & GASINDI (LEG. LONG. *Lib. 1. Tit. VIII.*) sive MLNISTERIALES: Sic passim occurrunt servi argentarii, aurifices, carpentarii, sartores, futores, coqui, pistores, fullones, hortulani, & singularum artium magistri, LEX. BURG. *Titul. XXI. §. XI. Lex. Sal. Tit. XI. §. V. Chron. Constant. apud PIST. Rer. Germ. Tom. II. p. 655.* Quin & Mercatorum servilis conditionis mentio fit apud HUND. *Metrop. Salisb. Tom. I. pagin. 227. & Tom. II. pag. 372.* Porrò (ut Jure Rom.) vel nascebantur (jure veteri patrem *Spec. Sax. Lib. 3. c. 73.* recentiore matrem secuti *Weich. art. 3. Hert. de hom. propr. c. 3. §. 4.*) vel fiebant, CAPTIVITATE nempe, ceu exemplis probant *Annal. Fuld. ad An. 794.* & EMANCIPATIONE LIBERA sui ipsius, de qua mirè scribit Tacitus noster *de M. G. c. 24. Aleam, inquit (quod mirère) sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut cum omnia defecerunt, extremo, ac novissimo jactu de libertate, & de corpore contendunt. Victus voluntariam servitutem adit: quamvis junior, quamvis robustior, alligari se, ac venire patitur. Ea est in re prava pervicacia: ipsi fidem vocant. Servos conditionis hujus per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoriæ exsolvant.* Deplorabile hujus rei exemplum de Frigiis tributis exhaustis memoriæ prodit idem Auctor *Ann. lib. 4. cap. 72.* Ibi: *Ac primò boves ipsos, mox agros POSTREMO CORPORA CONJUGUM, AC LIBERORUM SERVITIO TRADEBANT.*

Idipsum (sed meliori instinctu) medio ævo sæpè faciebant homines etiam opulentissimi, qui se unà cum familiis suis ex singulari pietate ultrò offerebant, vel mancipabant Ecclesiis. Id verò eo ritu fiebat, ut collum involverent laqueo, quo campana trahebatur, vel altari caput cum brachiis, & quatuor denarios, imponent. Exempla habes apud MABILLON. *de re dipl. Lib. VI. n. 4. Potgiefer de stat. & condit. serv. Lib. I. cap. 3. §. 47. & seq.* Quandòque & tacitè sese servituti mancipabant, ut si quis alterius ancillam matrimonio junxerit aut vicissim. LEX. *BAJUVAR. tit. 6. cap. 1. §. 3.* aut si commoraverit in loco, ubi aër servos reddere dicitur, ut in Algovia, unde ortum Parœmia: die

die Lust macht Leibeigen, quod etiam observari, dicunt in quibusdam partibus Wetteraviae. Hert. *de hom. propr. sect. 3. §. 3.* Non raro etiam ob delictum servitutem adibant, si fortè poenam, vel litis æstimationem ferre non poterant. *cit. Lex Baju. d. l. c. 2. §. 2.* addat. Coler. *process. execut. part. 1. c. 3. num. 114. & 140.* Quænam autem fuerit servorum apud veteres Germ. conditio, colligi potest ex dictis; quænam verò jure noviori, aut hodierno, nostri modò non est instituti. vid. desuper Heinec. *Elem. Jur. Germ. Tom. 1. Lib. 1. tit. 1. §. 38. & seqq.* Juvat nihilominus quasdam species annectere. Sic à gente alii ALBANI, vel ALBINI, unde & jus albinagii, le droit d'aubaine. HERT. *de hom. propr. Sect. 1. §. 1.* alii SAXONES, BROWER *antiqu. Fuld.* alii SCLAVI, alii SMURDI dicebantur. SCHILT. *Exerc. III. §. 1. pagin. 50.* Passim quoque in diplomatibus, aliisque monumentis occurrunt ALDIONES, BORDARII, BUBII (Buben) CASATI (unde nostri *coffäten*) GASINDI (unde nostrum *Gefinde*) HOMINES PROPRII, SERVI HUBARUM (TRAD. FULD. *Lib. II. num. 72. pag. 576.*) LASSI, LITI (inde Germanicum *Lied-Sohn*, à quo frustra alii *Litos* dictos existimant. vid. HACHENB. *Germ. Med. Diff. II. §. XV. p. 29.*) MALMANNI, MANSIONARII, MASSARII, ORIGINARII, VILLANI, MANUS MORTUÆ, CONDITIONARII (IVO CARN. *Epist. CXLVIII. Can. 53. Dist. 50.*) ACCOLABI, SERVI GLEBÆ, COLONI, SERVITORES, TRIBUTARII (BROWER *ibid.*) de quibus plerisque ordine alphabetico agunt POTGIES. *de statu & condit. serv. cap. 3. & HACHENB. Germ. med. Diff. II. §. XV. & seq.*

IV. Reflexio Histor.

21 LIBERTINI erant, quicumque ex justa servitute fuerant manumissi. Quamvis enim & hi ad *ingenuitatem* pervenisse dicantur in monumentis Francorum, Car. Du Fresne *Glossar. Latin. voce Ingenuitas p. 66.* ibi tamen veteres loquuntur ex Juris Justiniani principiis, quod libertinos omnes ingenuitatis jure donaverat. *Novell. LXXVIII. cap. I.* Cæteroquin enim jure Germanico eorum conditio longè abfuit à prærogativa ingenuo-

nuorum, semperque mansit in Germania, quod jam notavimus ex Tacito de Mor. Germ. cap. 25. *ut liberti non multum supra servos essent.*

Num autem temporibus antiquissimis solemnibus manumissionis ritu liberi esse jussi sint servi, nos hodie scimus cum ignarissimis. Id verò constat, medio ævo Germanos, & Romanorum ritus manumittendi præcipuos suos fuisse, & quosdam prætereà habuisse *γμοίως* Germanicos, & Romanis ignotos. Itaque eos rectè in *communes*, & *proprios* dispescere nobis videtur. Communes igitur Germanis cum Romanis erant in SACROSANCTIS ECCLESIIS, per TESTAMENTUM, per EPISTOLAM. Consulat, si placet Laud Auctor *ibid. tit. 2. §. 50.* Proprii & peculiare variant; cum quælibet ferè Gens Germanica suos proprios manumittendi ritus habuerit, & observaverit. Ex legibus Francorum servus manumittebatur, præsentem Rege, *excusso* è manu ejus *denario*. *Lex Ripuar. tit. LVII. §. 1. tit. LVIII. tit. LXII. §. 11.* Quare dicebatur *Manumissio esse Lege Salica, secundum legem Francorum, per denarium* (vid. Diploma Zuentepoldi Reg. apud Hedam Episc. Ultrai. p. 70.) quemadmodum & manumissi HOMINES DENARIALES dicti. *LEX RIPUAR. tit. 62. §. 2.* Aliquando etiam manumittebant per PORTAS PATENTES, ita, ut liberato, portis apertis, facultatem darent, quò vellet, migrandi. *LEG. RIPUAR. tit. LXI. §. 1. GOLDAST. Chart. VII. Tom. II. part. I. script. rer. Alemann. LONGOBARDI* servum primum alteri tradebant, qui eundem tertio, & hic, intercedentibus testibus, traderet quarto, illum dimissuro in quadivio, verbis: *DE QUATUOR VIIS, UBI VOLUERIS AMBULARE, LIBERAM HABEAS POTESTATEM. LEX LONGOB. lib. III. cap. IV. §. 1.* Iisdem Longobardis propria erat manumissio PER IMPANS, seu MANUM, vel VOTUM REGIS, qua dominus servum suum Regi ea lege cedebat, ut hic cum *per manum sacerdotis circa altare* manumitteret. *LEX LONGOB. lib. II. Tit. XXXIV.* Manumissi in ECCLESIIS, per DENARIUM, per QUARTAM MANUM, vel per IMPANS plenam consequantur

M

li-

libertatem; non item per CHARTAM, aut EPISTOLAM. Quum verò plenaria illa libertas Germanis (uti Romanis) displicere cœperit, factum esse volunt, ut in desuetudinem abiret. Hert. de hom. propr. Sect. 3. §. 11.

V. Reflexio Hist.

23. INGENUI dicebantur, quicumque libertate simplici absque majori dignitate fruebantur. Quo nomine olim præcipuè veniebant, qui postea *militēs*, vel equestris dignitatis *virī* audiebant, *der Land-Abel*. Quod ad eò verum est, ut prædia libera, *Ritter-Güter*, olim dicta sint *ingenuitates*, & *mansī ingenuiles* (*Ritter-Huffen*) ANNAL. BERTIN. ad annum DCCCLXVI. & ipse equestris Ordo vocatus sit *ingenua nobilitas* in CHRON. REICHERSP. ad ann. MLXXXIV. Horum vel otium, vel laborem videtur describere Tacit. c. 15. *Quoties, inquit, bella non ineunt, non multum* (ita mihi, alii fortè meliùs juxta mox dicenda, legunt *multum*, omiſsa particula *non*) *venationibus; plus per otium transigunt, dediti somno, ciboque. Fortissimus quisque, ac bellicosissimus nihil agens, delegatâ domûs, & penatium & agrorum curâ fœminis, senibusque, & infirmissimo cuique ex familia, ipsi bebent: mira diversitate naturæ, cùm iidem homines sic ament inertiam, & oderint quietem.* Cæsar de B. G. VI. 21. scribit, vitam eorum omnem in venationibus, atque in studiis rei militaris constitisse. Arma tamen sumere, ait Tacitus c. 13. non ante cuiquam moris, quàm civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio vel Principum aliquis, vel pater, vel propinquus scuto, frameæque juvenem ornant: hæc apud illos toga, hic primus juventæ honos: ante hoc domûs pars videntur, mox Reipublicæ. Ex quibus satis apparet, Ingenuos antiquiori ævo nonniſi militiæ, & venatui; non item alii quæstui, aliisque artibus se fuisse natos, existimâsse. Quò spectat illud Taciti c. 14. *Nec arare terram, aut expectare annum tam faciliè persuaferis, quàm vocare hostes, & vulnera mereri: pigrum, quinimò & iners videtur sudore acquirere, quod possis sanguine parare.*

VI. Re-

VI. Reflexio Hist.

NOBILES habebantur quicumque ex ingenuis ad majores²⁴ in republica dignitates adspiraverant, veluti, qui ducebant exercitus (Herzog) & Principes, qui jura per pagos, vicōsque reddebant, uti eos describit Tacit. de morib. Germ. cap. 12. Et præcipuè 13. Ibi.: *Insignis nobilitas, aut magna patrum merita, Principis dignationem etiam adolescentulis assignant. Cateris robustioribus, ac jam pridem probatis aggregantur, nec robur inter comites aspici. Gradus, quin etiam & comitatus habet; judicio ejus quem sectantur. Magnæque & comitum æmulatio, quibus primus apud Principem, cui plurimi, & acerrimi comites. Hæc dignitas, hæc vires, magno semper electorum juvenum globo circumdari, in pace decus, in bello præsidium. Nec erat nobilium levis prærogativa. Reges quippe, inquit Tacit. c. 7. ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. Horum posterio exemplo Romanorum tantò nobiliores existimabantur, quò plures majorum Consularium, Censoriorum, Prætoriorum numerarent imagines. In eo tamen prudentiores Germani, quod iis non negarent nobilitatis decus, qui primi ad honores adspirabant, quum Romani hos, sua tantum imagine claros, tanquam NOVOS HOMINES, despicerent. PLUTARCH. vit. Caton.*

Cùm verò aliæ Gentes Regum, aliæ Optimatum, aliæ²⁵ populari uterentur imperio, variis modis obtinebatur Nobilitas. Sub Regibus illi nobiliores erant, honoresque capessabant, quos virtus, & prudentia commendabat. Huc pertinet, quod notat Tacitus cap. 25. In verbis: *Liberti non multum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate, EXCEPTIS DUMTAXAT IIS GENTIBUS, QUÆ REGNANTUR. Ibi enim & super ingenuos & super nobiles ascendant: apud ceteros impares libertini libertatis argumentum sunt. Quod & apud antiquos Romanos, ut verba Tullii Regis, ad Fufetium Albanorum Regem, quæ refert Dionys. apud Cluv. Lib. 1. cap. 15. indicant, observatum dicitur. Hæc ita habent: Magistratus, & Senatoria dignitas, ceterique honores deferuntur apud*

nos, non iis, qui amplas possident opes, aut longam majorum indigenarum possunt ostendere seriem; sed iis, qui talibus honoribus sunt digni. **NULLA ENIM ALIA RE, QUAM VIRTUTE** (aureis hæc digna literis) **MORTALIUM NOBILITATEM CONSTARE DUCIMUS.** O utinam ab his Gentibus hoc in negotio exemplum caperemus! In reliquis civitatibus præminebant Nobilitate jam conspicui. *Cæsar de B. G. Lib. 6. cap. 23.*

26 Ut Ingenui ex dictis, ita nec Nobiles erant ad arma segnes. Testatur hoc Tacit. cap. 14. Ibi: Si civitas, in qua orti sunt, longa pace, & otio torpeat; plerique nobilium adolescentium petunt ultrò eas nationes, que tum bellum aliquod gerunt; quia & ingrata genti quies, & facilius inter ancipitia clarescunt, magnùmque comitatum non nisi vi belloque tueare. Nobilibus sese aggregabant Ingenui; ita ut quò major erat comitatus, eò magis creverit eorum fama, ut disserit Auctor noster cap. 13. *Nec solum in sua Gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero, ac virtute comitatus emineat; expetuntur enim legationibus, & muneribus ornantur, & ipsa plerumque famâ bella profigant.* Sanè etiam apud alias gentes habitam fuisse nobilitatis rationem, palam faciunt ea, quæ in Epistolis Patrum Soc. JESU ex Japonia leguntur: Japoniorum (ita literæ) tres præcipuè ordines numerantur: Patricii, qui vectigalibus civitatis fruuntur: Bonzii, Sacrificuli; quorum item ampli sunt redditus: operarii, qui aliorum veluti servitia sunt; semper iis laborant, semper iis obnoxii degunt. Nam nec patriciis inopia, quamvis extrema, nobilitatem aufert; nec operariis quantavis pecunia dignitatem affert ullam: nec unquam operarios inter, ac nobiles matrimonia commiscuntur. Item ista: Japonia gens dignitatis mirum quàm studiosa. Sic prorsus, ut eam reliquis rebus omnibus anteponant. Rei familiaris inopia patet illa quidem in hac gente latissimè. Sed ea nulli est dedecori, nec sanè minùs idcirco, qui nobiles sunt, à plebe coluntur. Neque verò eorum quisquam, pauperrimus licèt, connubio cum plebejis ulla mercede jungitur. Usque adeò existimationem divitiis præferunt.



SE-

SECTIO QUINTA.

De Statu Militari.

Altera inspectio, quæ statum civilem concernit, est vel maximè recta ordinatio rei militaris, quam exhibet sequens]

§. Unicus.

De Statu Militari Vet. Germanorum:

Quanta fuerit Vet. Germanorum in arma propensio (di-27 cam, pruritus) abundè paret ex hæcenus dictis. Audiamus insuper testem omni exceptione majorem! Senecam sapientissimum illum virum intelligo: Ait ille *de Ira Lib. 1. c. 11. Germanis quid est animosus? quid ad incursum acrius? quid armorum cupidus? quibus innascuntur, innutriunturque, quorum una illis cura est, in alia negligentibus. Quid induratus ad omnem patientiam, ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum provisæ sunt, non suffragia adversus perpetem cæli rigorem? Et quid ultra desideras? Habeto alia. Nec minor hac in re Tacito nostro debetur fides. Testatur iste c. 14. de M. G. cum ventum est in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatus virtutem principis non æquare. Jam verò infame in omnem vitam, ac probrosum, superstitem principi suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriæ ejus assignare, præcipuum Sacramentum est. Principes pro victoria pugnant; comites pro principe. Cedere loco, memorat. c. 6. dummodo rursus instes, consilii (magis) quàm formidinis arbitrantur. Corpora suorum etiam in dubiis præliis referunt. Scutum reliquisse præcipuum flagitium, nec aut sacris adesse, aut concilium iniro ignominioso fas, multique superstites bellorum, infamiam laqueo finierunt. Unde omnem Germanorum vitam nil, nisi militiam fuisse, existimatur. Ita Cæsar de B. G. lib. 6. hinc, ut refert sæpè laud. Tacit. cap. 13. Nihil neque publicæ, neque privatæ rei nisi armati agebant. Ire ulterius ad species præsens vetat institutum: unicum referre placet, quod fragiliorem alias sexum concernit: Me-*

M 3

mo-

moria proditur (infit Tacit. c. 8. quasdam acies inclinatas jam, & labantes à fœminis restitutas, constantiâ precum, & objectu pectorum, & monstrata cominus captivitate, quam longè impatientius fœminarum suarum nomine timent: adeò ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellæ quoque nobiles imperantur.

28. Verùm quodnam armorum genus? Et quinam bellandi modus? Utrumque intelliges præprimis ex Tacito. „Rari „gladiis (ita tradit c. 6.) aut majoribus lanceis utuntur: hastas, „vel ipsorum vocabulò frameas gerunt, angusto & brevi ferro; sed ita acri, & ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominùs, vel eminùs pugnent, & eques quidem „scuto frameaque contentus est. Pedites & missilia spargunt, „pluraque singuli, atque in immensum vibrant, nudi aut sagulo leves, nulla cultùs jactatio: scuta tantùm lectissimis coloribùs distinguunt. paucis loricæ: vix uni alterive cassis, aut „galea. Equi non formâ, non velocitate conspicui. sed nec „variare gyros in morem nostrum docentur. In rectum aut „uno flexu dextros agunt, ita conjuncto orbe, ut nemo posterior sit. In universum æstimanti, penes peditem roboris: „eoque mixti præliantur, apta & congruente ad equestrem „pugnam velocitate peditum, quos ex omni juventute delectos ante aciem locant.„ Vetustissimus etiam erat modus pugnandi ex curru, ùt mox infra videbimus.

I. Reflexio Histor.

29. Si nondum fatis Veter. Germanorum in arma propensio clucescere videatur lege mirabilia apud Tacit. c. XVIII. „Dorem non Uxor marito, sed uxori maritus offert. Interfunt „parentes & propinqui, ac munera probant: munera non ad „delicias muliebres quæsitæ, nec quibus nova nupta comatur.„ Sed quid hoc ad rem? Lege ulterius „Sed boves & frenatum „equum, & scutum cum framea gladioque. In hæc munera uxor accipitur. atque invicem ipsa armorum aliquid viro offert. Hoc maximum vinculum, hæc arcana sacra, hos conjugales deos „arbitrantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes, extra-

„traque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis
 „admonetur, venire se laborum, periculorumque sociam, idem in
 „pace, idem in praelio passuram usuramque: hoc juncti boves, hoc
 „paratus equus, - hoc data arma denuntiant. Sic vivendum,
 „sic pereundum. „

Hinc, instigante tam inordinato bellandi pruritu, latrocinia³⁰
 apud eosdem nullam habebant infamiam, quæ extra fines cu-
 jusque civitatis fiebant, atque ea juventutis exercendæ, ac de-
 sidia evitandæ causâ fieri prædicabant: Et ubi quis ex Princi-
 pibus in concilio se dixit, ducem fore, ut qui sequi velint, pro-
 fiteantur; consurgebant ii, qui & causam, & hominem pro-
 babant, suumque auxilium pollicebantur, atque à multitudine
 collaudabantur: qui ex iis secuti non fuerint, in desertorum,
 ac proditorum numerum ducebantur; omniumque rerum iis
 postea fides abrogabatur. Verba sunt Cæsar. *de B. G. Lib. VI. c. 23.*
 Alius, isque multò laudabilior erat Chaucorum pacem, & jus-
 titiam amantium sensus. Hos his verbis dilaudat. Tacit. *c. 35.*
 „Populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudi-
 „nem suam malit justitiâ tueri, sine cupiditate, sine impoten-
 „tia: quieti secretique, nulla provocant bella, nullis raptibus,
 „aut latrocinis populantur. Idque præcipuum virtutis ac virium
 „argumentum est, quod ut superiores agant, non per injurias
 „assequuntur. Prompta tamen omnibus arma, ac si res poscat,
 „exercitus: plurimum virorum, equorumque: & quiescentibus
 „eadem fama., Quid, amabo! hac indole laudabilius?

II. Reflexio Histor.

Nudi, aut sagulo leves pugnant, inquit Tacit. *c. 6.* Temerita-³¹
 tem, aut virtutem dicas? nescio. Si fidem suspendis, nec præ-
 stas Tacito, alios audi, & simul rationem apud Polyb. *Lib. 2.* in
 pugna adversus Romanos in Italia commissa: „Ad pugnam
 „Insubres, & Boji braccati, levioribus sagulis contexti pro-
 „dière. Cæsarum verò tanta fuit vanitas, tantæque confi-
 „dentia, ut braccis, sagisque abjectis, nudi, cum solis armis,
 „primores ordines aucuparent; hac ratione quàm expeditissi-
 mos

„mos fore, se se rati, quum senticeta alicubi essent, quæ, de-
 „pendentibus laciniis, ac vinculis adhærentia, armorum usum
 impedirent.„ Id pariter testatur Dio. *Lib. 38.* Cæsar's orationem
 ad milites contra Ariovistum referens: *quis nescit, ex-
 clamat, nos totum corpus armatos, illos verò plerumque nudos?*
 Quidam verò, locò sagulorum, ferinis utebantur, ut in pace,
 pellibus. : De Germaniciano quippe Romanorum exercitu sic
 Auctor noster, *hisor. Lib. 11. Tergis ferarum, & ingentibus telis
 borrentes.* Diodorus *Lib. 5. de Germanis juxta, & Gallis: Lori-
 cas quidem habent ferreas, atque hamatas: Alii à natura tributis con-
 tenti nudi pugnant.*

III. Reflexio Histor.

32 *Paucis lorice, vix uni alterive cassis, aut galea, pergunt noster
 c. 6. Quod rursus confirmat Herodianus Lib. VI. Sagittariis
 NUDA GERMANORUM CAPITA patentibus Dio. ubi supra:
 Capitibus nudis pugnant.* Quin imò etiam ipsos Principes sine
 Galeis pugnas iniisse patet iterum ex Tacito. *Sapè, inquit,
 in ipso solo vertice religant capillum principes, & ornatiorem habent.
 Ea cura formæ; sed innoxie; neque enim ut ament, amentiorve; in al-
 titudinem quamdam, & terrorem, adituri bella, comiti, ut hostium
 oculis ornantur.* Quod & aliis observatum refert Appianus in
 Syriacis: *Parti Scytarum ritu ad terrorem hostium capillum in ver-
 tice religant.*

33 Cæterùm sicut aliæ Gentes Galeas variis figuris ornatas
 gestabant. Ut Diodorus *Lib. V. testatur de Gallis: Aneis
 utuntur Galeis, cum magnis adpendicibus, ad prolixam ostentationem
 factis; aliis namque cornua adfixa sunt; alii avium, aut quadrupedum
 formas expressas habent.* Plutarch. in *Mario: Equitum XI. milia
 numero effuderunt se splendide: Galeas gerebant, quæ representarent
 ferarum beluarum rictus, & inusitatas figuras: quas alatis fastigian-
 tes cristis, adparebant eminentiores.* De Vettonibus Hispanicâ
 gente Silius Italicus

Ore ferarum
 Et rictu horrificant Galeas.

Ita

Ita & Germani ferreis (deerant fortè tunc temporis æneæ; aut ex alia pretiosiori materia, ut ex Tacito *cap. 5.* colligitur) utebantur Galeis. Dixi ferreis. Argentum quippe & aurum propitii, an irati Dii negaverint, dubitat Tacit. *d. 1.* Imò nec ferrum (addit *c. 6.*) supererat. Stewach. ad Vegetii *lib. 1. cap. 20.* super iis, quæ de Cimbris refert Plutarchus, commentans, sic inquit: „Ex re militari haud dubiè mos, quo etiamnum hodie „insignia familiarum exornata, atque distincta videmus; cum „galeis insident leones, lupi, cervi, canes, aquilæ, vultures, „dracones, & aliarum bestiarum sive capita, sive cor- „nua, sive pedes. Originem moris tam antiqui spero, me „nunc primùm invenisse; ab Ægyptiis enim descendisse, ob- „servavi apud Diodorum Sicul. *lib. 11.* ubi ille Reges eorum ca- „put leonis, tauri, aut draconis, principatûs insigne, capite „gestâsse scribit. Ab Ægyptiis porrò mutuatos hoc Græcos, „& ab his Romanos, ut multa alia, quæ ad disciplinam milita- „rem pertinebant, magnam mihi verisimilitudinem habere „videtur, præsertim, quòd Lacedæmoniis galeæ inventionem „videam tribui à Plinio, *Lib. VII. cap. LVI.*

IV. Reflexio Histor.

Rari gladiis utuntur: filum prosequitur Tacit. *loc. superius* 34 *cit.* Utebantur tamen, haud dubiè locupletiores, nobiles, ac principes. Diodor. *Lib. V. de Gallis atque Germanis*: *Pro gladiis spathas gerunt prælongas, ex catenis ferreis, aut æneis ad dextrum latus dependenteis.* Et paulò post: *Gladii non minores sunt ceterorum Sauniis.* Plutarchus, *in Mario*, de Cimbris: *Gladiis utebantur permagnis atque ponderosis.* Strabo, *Lib. IV. de Gallis*: *Armatura iis pro magnitudine corporum: gladius longus, ad dextrum dependens latus; & scutum item longum.* Diodorus eòdem librò paulò post, de Celtiberis: *Gladii gestant ancipiteis, è ferro exquisito fabricatos.* Sed cur, ut vidimus ad dextrum latus, præsertim si tantæ erant magnitudinis? Quomodo, rogas, dextrâ manu evaginare poterant? Sinistra, si quid de ea suspiceris, prælongò scutò erat occupata atque impedita! Nec tamen est ali-

N

ter.

ter. Unus pro omnibus sufficiat Polybius Lib. VI. *una cum scuto est gladius, quem ad dextrum femur gestat miles. Hispaniensem vocant, estque ad punctum ledendum excellens; & ad caesim ex utraque parte ferendum vehemens. Constat enim laminâ validâ, ac firmâ.* Hinc Horatius, epodôn odâ VII.

*Quò, quò scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?*

Modum appendendi gladium scire cupis? Duplex hic fuit: alter, quo ab humero, atque collo; alter, quo à femore suspendebatur. Prior ille antiquissimus fuisse videtur omnium gentium: quippe qui ab Homero crebrò memoretur. Unum, atque alterum ejus locum attulisse, sufficiet. Iliad β. de Agamemnone:

Circum verò humeros posuit gladium argenteos habentem clavos.

Et Odyss. β. de Talemacho:

Gladium acutum suspendit ab humero.

Nec semel Virgilius. Æneid. Lib. VIII. de Evandro:

Tum lateri atque humeris Tegeæum subligat enses.

Æneid. Lib. IX. de Ascanio:

- - Humero simul excuit enses.

Et Lib. XI. de Æncâ:

- - Ensem collo suspendit eburno.

De altero suspendendi gladium modo sic Diodor. loc. suprâ cit. *Spathas habent prælongas è catenis ferreis, aut æneis ad dextrum latus dependentes.* Apud Germanos, & Gallos sustinebatur gladius & balteò. Baltei isti erant lati, qualibus in Germania Aurigæ cinguntur. Huc pertinet, quod habet Sidonius de Francis Carm. V.

Strictius affutæ vestes procera cœercent

Membra virum, patet illis altato tegmine poples

Latus, & angustam succingit balteus alvum.

Ornamenta baltei fuere bullæ, ferreæ quidem antiquioribus Germanis, ut quibus nullum aurum, nullum æs; at, postquam in Italiam, Galliâque transivêre Franci, Burgundiones, & alii, his æneæ fuere, quemadmodum galeæ, & Principibus etiam

etiam argenteæ, atque aureæ. Balteus verò bullis exornatus locupletiorum tantum fuit cingulum : plebs inferior nudo utebatur corio. Sidonius *de Gotbico cultu* ita canit :

Applicat à læva surgentem balteus ense.

Qui plura de Germanorum armis desiderat, consulere poterit Cluv. *Lib. 1, c. 44.* ubi etiam post pag. 360. figuras tum belligerantium, tum armorum inveniet.

V. Reflexio Histor. Critica.

Sanè quò major erat Germanorum audacia vigorque membrorum, eò minor creditur bellandi peritia, ac disciplina militaris, quæ aliàs plerumque omne tulit punctum, ut ostendit Vegetius *de re milit. Lib. 1. c. 1.* „ In omni prælio, ait, non „ tam multitudo, & virtus indocta, quàm ars & exercitium „ solent præstare victoriam, nullâ enim aliâ re videmus popu- „ lum Romanum orbem subegisse terrarum, nisi armorum „ exercitiò, disciplinâ castrorum, usúque militiæ. Quid enim „ adversùs Gallorum multitudinem paucitas Romana valuisset? „ quid adversùs Germanorum proceritatem brevitatis potuisset „ audere? Hispanos quidem non tantum numero, sed etiam viri- „ bus corporum nostris præstitisse, manifestum est. Afrorum „ dolis, atque divitiis semper impares fuimus. Græcorum „ artibus, prudentiâque nos vinci, nemo unquam dubitavit. „ Sed adversùs omnia profuit tyronem solerter eligere; jus (ut „ ita dixerim) armorum docere; quotidianò exercitiò robo- „ rare; quæcunque evenire in acie, atque in præliis possint, om- „ nia in campestri meditatione prænoscere; severè in desides „ vindicare. Scientia enim rei bellicæ dimicandi nutrit auda- „ ciam : nemo facere metuit, quod se bene didicisse confidit: „ Etenim in certamine bellorum, exercitata paucitas ad victo- „ riam promptior : rudis & indocta multitudo opposita semper „ ad cædem. „ At Germanis nostris nulla prudentia militaris, nulla disciplina, vi omnia, iracundiâ, atque impetu agebant, sine certis imperiis, sine ducibus. Nemo hac de re meliùs Senecâ *de Ira Lib. 1. cap. 11.* *Quid Cimbrorum, Theutonicorumque tot*

millia superfusa Alpibus ita sustulit, ut tantæ cladis notitiam ad suos non nuntius, sed fama pertulerit, nisi quod erat illis ira pro virtute, quæ ut aliquando perculit, stravitque omnia, ita sæpius sibi exitio est? Fuerint Germani animosi, ut superius vidimus, hos tamen (ita pergit Seneca) Hispani, Gallique, & Asiæ, Syriæque molles bello viri, antequam legio visatur, cædunt ob nullam rem opportunos, quàm ob fracundiam. Agendum illis corporibus, illis animis, delicias, luxum, opes ignorantibus, da rationem, da disciplinam; ut nihil amplius dicam, necesse erit nobis certè mores Romanos repetere.

36 Ut ut hæc ita sint, negandum tamen haud erit, Germanos nostros à Romanis (ut à aliis modò à nostris) multa quoad disciplinam militarem crebris Cæsaris Augusti temporibus contra Romanos bellis exercitatos didicisse. Id colligitur ex Tacito *Annal. Lib. 2. de prælio inter Arminium Cberuscorum, & Maroboduum Marcomanorum Duces.* Ibi: *Diriguntur acies, pari utrimque spe; nec, ut olim apud Germanos, vagis incurfibus, aut disjectas per catervas, quippe, longâ adversus nos militiâ, insueverant sequi signa, subsidiis firmari, dicta Imperatorum accipere.* De eodem Maroboduo ita Vellejus Paterculus, *Lib. II. Imperium, perpetuis exercitiis penè ad humanæ disciplinæ formam redactum, brevè in eminens & nostro quoque imperio timendum perduxit fastigium. exercitum, quem LXX. millium peditum, IV. equitum fecerat, assiduis adversus finitimos bellis exercendo, majori, quàm quod habebat, operi præparabat.* De Cætorum gente ita Tacit. de M. G. cap. 30. *Multum, ut inter Germanos (dociles quippe) rationis, ac solertiæ: præponere electos, audire præpositos, nôsse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare: quodque rarissimum, nec nisi ratione disciplinæ concessum; plus reponere in duce, quàm in exercitu. Omne robur in peditum, quem super arma, ferramentis quoque, & copiis coonerant. Alios ad prælium ire videas, Cætos ad bellum. Rari excursus, & fortuita pugna. Equestrium sanè virium id proprium, citò parare victoriam, citò cedere. Velocitas juxta formidinem, cunctatio propior constantiæ est.*

VI. Reflexio Histor. Critica.

Legitur apud Antiquos, fuisse etiam ex curribus milita-³⁷
tum. Idque probant passim profanz juxta, ac sacrz historiz.
De Britannis scribit Diodorus lib. V. *Britanniam ferunt, indigenas
incolere genteis; quæ antiquos adhuc vivendi mores retineant. CUR-
RIBUS namque in bellis utuntur; quemadmodum priscos Græcorum
heroas in bello Trojano belligerasse traditur.* Huic consentit de Bri-
tannis, & Gallis Strabo *Lib. IV. In bellis, inquit, VEHICULIS
utuntur plerumque. Quemadmodum & Gallorum quidam.* Et Mela,
*Lib. III. cap. V. de iisdem Britannis: Dimicant non equitatu modo,
aut pedite, verum & BIGIS, & CURRIBUS, gallicè armati. Co-
vinos vocant; quorum falcatis axibus utuntur.* Frontinus, strata-
gem. *Lib. II. cap. III. Cajus Cæsar Gallorum falcatas quadrigas palls
defixis excepit, inbibuitque.* Num id etiam apud Germanos usi-
tatum fuerit? Sanè licet dubitare:

Equidem Germanorum creberrima, diutinaque cum Ro-³⁸
manis bella, quamvis Tacitus, & post eum alii quàm curatissi-
mè memoraverint; tamen de curruum usu in pugnis ne verò
quidem: Unde haud leve, nec vanum documentum, nullum
hunc omninò fuisse apud eos morem. Verùm si admittatur,
unius ejusdemque Gentis, atque originis fuisse Germanos cum
Gallis, ac Britannis, & unà cum his ex Asia in terram, quæ post-
modùm Celtica fuit fuit nuncupata, profectos, credibile om-
ninò videtur, & ipsos eum, qui à Cæsare, & Diodoro, ut
suprà *Lib. V.* describitur, observasse modum. Ait & ille *B. G.
comm. IV.* ubi pugnam quamdam in Britania commissam narrat,
„Tum dispersos nostros, depositis armis, in metendo occu-
„patos, subito adorti, paucis interfectis, reliquos incertis or-
„dinibus perturbaverunt; simul equitatu, atque effedis circum-
„dederunt. Genus hoc est ex effedis pugnz: Primò per
„omneis partes perequitant, & tela conjiciunt, atque ipso ter-
„rore equorum, & strepitu rotarum, ordines plerumque per-
„turbant: & quum se inter equitum turmas insinuavere; ex
„effedis dissiliunt, & pedibus præliantur: aurigæ interim pau-
„lum

„lùm è prælio excedunt; atque ita se collocant, ut, si illi à
 „multitudine hostium premantur, ad suos receptum habeant.
 „ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in præliis præ-
 „stant: ac tantùm usu quotidiano, & exercitatione efficiunt,
 „ut in declivi, ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, &
 „brevi moderari, ac flectere, & per temonem percurrere, &
 „in jugo insistere, & inde se in currus citissimè recipere con-
 „sueverint. Quibus rebus perturbatis nostris novitate pugnæ,
 „tempore opportunissimo Cæsar auxilium tulit.„ Iste præ-
 ter mox dicta addit cit. Lib. V. *In itineribus, & præliis utuntur
 bigis, quæ arigam simulque militem gestant. Occurrentes in bello equi-
 tibus hostem petunt missilibus; dein desilientes ex curru ad gladii confectum
 congregiuntur.* Præmisit insuper Laud. Cæsar ubi suprâ hæc ver-
 ba: *At Barbari consiliò Romanorum cogniti, præmisso equitatu &
 effedariis, quo plerumque genere in præliis uti consueverunt, reliquis co-
 piis subsecuti, nostros navibus egredi prohibebant: Quibus rebus, per-
 git paulò post, nostri perterriti, atque hujus omninò generis pugnæ
 imperiti non omnes eadem alacritate, ac studio, quò in pedestribus uti
 præliis consueverant, utebantur.* Mobilitatem, velocitatémque
 horum curruum indicat & Virgilius Georgic. Lib. 3. de equo-
 rum educatione differens:

*Hic vel ad Elei metas, & maxima campi
 Sudabit spatia, & spumas agat ore cruentas;
 Belgica vel molli melius feret effeda collo.*

Sed de hoc bellandi genere hæc pauca dixisse, sufficiat, siquidem
 ejus jam nullus Julii Cæsaris sæculo in Germania usus. Imò ex
 dictis colligitur, Gallos nusquam eo genere pugnæ in Gallia
 contra Cæsarem fuisse usos.

VII. Reflexio Histor.

39 Præter ea, quæ superius ex Tacito cap. 6. de Germano-
 rum equis audivimus; addimus quædam alia. Cæsar Comm. 6.
 hæc narrat. *Jumentis, quibus maximè Gallia delectatur, quæque im-
 pensò parat pretiò; Germani importatis non utuntur. Sed quæ sunt
 apud eos nata parva, atque deformia, hæc quotidianâ erercitatione,*
 sum-

summi ut sint laboris, efficiunt. Equestribus præliis sæpè ex equis desiliunt, ac pedibus præliantur: equosque eodem remanere vestigio (nempe extra prælium, ut esseda) assuefaciunt. Ad quos se celeriter, quum usus poscit, recipiunt. Esto itaque equi non fuerint ex Tacito nostro loc. cit. conspicui, quotidiana tamen exercitatione adaptabantur.

Mira erat velocitas etiam peditum, ceu cum Tacito describit Cæsar *Comm. 1.* „Ariovistus, inquit, his omnibus diebus exercitum castris continuit. Equestri prælio quotidie contendit. Genus hoc erat pugnae, quo se Germani exercuerant. Equitum millia erant VI. totidem numero pedites velocissimi, ac fortissimi; quos ex omni copiâ singuli singulos, suæ salutis causâ delegerant. Cum his in præliis versabantur; ad eos se equites recipiebant. Hi, si quid erat durius, concurrebant: si qui, graviore vulnere accepto, equo deciderant, circumstitebant: si quod erat longius prodeundum, aut celerius recipiendum; tanta erat horum exercitatione celeritas, ut, iubis equorum sublevati, cursum adæquarent. „ De Batavis, Treverisque, Cisrhenanis Germanis, quos Crassum in pugna Parthica duxisse, fertur; ita Plutarch. *in Crasso*, & Appianus *in Syriacis* testatur. „His enim fidebat maximè, horumque virtute mira edebat facinora. Apprehensis namque hostium contis, viros complexi, ex equis eos deturbabant, armorum pondere immobileis. Multi etiam, equis suis relictis, hostium equos subeuntes, ventreis eorum fodiebant. Qui, præ dolore subsultantes, excutiebant sessores, & tam suos, quàm hosteis proculcabant promiscuè. „ Communem hunc fuisse omnium Germanorum morem ex Taciti *Annal. Lib. 1. c. 65.* discimus. Ejus traditio hæc est: „Neque tamen Arminius, quamquam libero incursum, statim prorupit. Sed, ut hæserè coeno, fossisque impedimenta, turbati circum milites incertus signorum ordo, utque tali in tempore sibi quisque properus, & lentæ adversum imperia aures; irrumpere Germanos jubet, clamitans: En Varus, & eodem iterum fato victæ legiones. Simul hæc, & cum dilectis scindit agmen, equisque

„que maximè vulnera ingerit : Illi sanguine suo, & lubrico
 „paludum lapsantes, exculsis rectoribùs, disjicere obvios, pro-
 „terere jacentes.„ Cæsar *Lib. 4.* suprà citatis hæc addit : Ne-
 que eorum moribus turpius quidquam, aut inertius habetur,
 quàm ephippiis uti. Itaque ad quemvis numerum ephippiato-
 rum, quamvis pauci, adire audent. Phaleris tamen usos, testis
 est noster, in dicto libro de Germania. Gaudent, inquit, præ-
 cipuè finitimarum gentium donis : quæ non modò à singulis,
 sed publicè mittuntur; electi equi, magna arma, phalæræ, tor-
 quésque. Antiquissimum fuisse morem sine ephippiis, ut suprà
 monitum, equitare, docemur ex Virgilio *Æneid. VIII.*

*Omnibus extemplo Teucris jubet ordine duci
 In stratos ostro alipedes, pictisque tapetis.
 Aurea pectoribus demissa monilia pendent:
 Teæti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum.*

VIII. Reflexio Histor.

41 Superfunt adhuc quædam nullatenus pro militari Germa-
 norum gloria (dicam potiùs vel industria, vel cautela) silentio
 involvenda. Omnem aciem suam rhedis, & carris circumda-
 bant : ne qua spes in fuga relinqueretur, eò mulieres impone-
 bant : quæ in prælium proficiscentes milites passis crinibus flen-
 tes implorabant, ne se in servitutum Romanis traderent. Ver-
 ba sunt Cæsar's de acie Ariovisti *Lib. 1. de B. G. c. 51.*

42 Præcipuum pariter fortitudinis incitamentum, ut Tacitus
c. 7. testatur, erant familiæ, & propinquitates, & in proximo
 pignora : Unde foeminarum ululatus audiri, unde vagitus in-
 fantium. Hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores.
*Ad matres (infit Tacit.) ad conjuges vulnera ferunt, nec ille nume-
 rare, aut exfugere plagas pœvent. Cibòsque & hortamina pugnantibus
 gestant.* Jungantur ea, quæ habet mox Laud. Auctor *Hist. IV.
 cap. 18.* „Civilis (Claudius regia stirpe natus) captarum cohortium
 signis circumdatus, ut suo militi recens gloria ante oculos,
 & hostes memorià cladis terrerentur; matrem suam sororesque,
 simul omnium conjuges, parvosque liberos, consistere

re

re à tergo jubet : hortamenta victoriæ, vel pulsus pudorem. Prælium haud facillè inibant, nisi sub novilunium. Rationem subministrant ea, quæ habentur apud Cæsarem *de B.G. L.I. c. 50. Ibi* : „Quum ex captivis quæreret Cæsar, quamobrem Ariovistus præliò non decertaret, hanc reperiebat causam : Quòd apud Germanos ea consuetudo esset, ut matresfamilias eorum sortibus, & vaticinationibus declararent, utrùm prælium committi ex usu esset, nec ne ? eas ita dicere, non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam prælio contendissent. „ Ante pugnam præmittebatur, ut antea monitum, solemnibus ad milites oratio. Exemplum refert noster Auctor hist. V. c. 17. his verbis : *Ubi sonò armorum tripudis que dicta essent approbata, ingenti clamore, saxis, glandibusque, & ceteris missilibus prælium incipiebatur.* Clamoribus itaque inchoabatur pugna, Tacitus *loc. cit. c. 18. ibi* : *Ut virorum cantu fœminarumque ululatu sonuit acies.* Unde Cæsar suos hortatus monet, ne Germanorum impetum, vel magnitudinem corporum, clamorémque reformident, cum nunquam vox hominem interfecerit. Ita apud Dionem Cassium *lib. 38. pag. 89.* Sed & de his satis.

SECTIO SEXTA.

De Statu Veterum Germanorum Oeconomico.

QUoad statum oeconomicum tria potissimum consideranda occurrunt : Status familiæ, seu potestatis : Hujus causæ introductivæ : Et ipsa oeconomicæ administratio.

§. I

De Statu Familiæ, seu Potestatis.

FAMILIA est Coetus plurium personarum, quæ sub unius potestate naturâ, aut jure quotidiani usûs causâ sociatæ, aut subjectæ sunt. Ita describit Ulpianus *in l. 195. §. 2. ff. de V. S.* In familia verò alii sunt sui, alii alieni juris. Et hoc de familia in genere sumpta. Quoad nostrum Institutum norandum, quòd,

quòd, quamvis hæc divisio sit suò modò in ratione quadam naturali fundata, aliter tamen philosophati sint Germani, aliter Quirites, à quibus tantùm illi sui juris dicuntur, qui neque potestati dominicæ, nec patriæ subiecti sunt. *pr. Inst. de his, qui sui vel alien. jur. sunt.* Germani verò non solùm servos, & liberos, seu filios &c. sed & uxores in mundio maritorum; minores in mundio tutorum: libertinos in mundio eorum, ad quos se se applicassent, imò & *Ecclesias, civitatésque* in mundio Principum esse dicebant. Hinc sæpè legimus, liberos *teneri in mundiburdio parentum*: BURCARD. *Decret. XIX. p. 268. foeminas vivere sub potestate, & in mundio virorum*: LEX LONGOBARD. *Lib. II. Tit. X. pupillos esse in potestate, & mundio tutorum*: *Eadem Leg. d. Lib. II. tit. XXXIV. §. IV. libertos factos esse jamundlingos, vel mundmannos.* LINDENBR. *Privil. Eccl. Hamb. p. 149. 155. & 156. HUND. Metrop. Salisb. Tom. I. p. 240, Ecclesiæ autem tam sæpè in mundio, mundiburdio, mundiburde Regum, & Principum esse dicuntur, ut ipsa horum diplomata, quibus earum defensionem in se suscipiunt, mundiburdia vocentur.* CAR. DU FRESNE *Glossar. med. Latin. p. 696. & seq. Tom. II.*

- 2 At quid Mundium denotat? Derivatur à vernacula nostra *Mund*, quod os significat, quatenus, qui in alios potestatem (seu mundium) habent, omnia ore præcipere; suosque subiectos, quoties opus erit, verbis defendere soleant. Indè usu invaluit, ut *mund* pro potestate, ac tuitione acciperetur. Id verò vel indè patet, quòd veteres *in mundio esse* latinè exprimerent: *in verbo, sermone, vel ore esse.* LEX SALICA *tit. XIV. §. V. si pupilla, que trahitur, IN VERBIS regis fuerit.* Et *tit. LIX. Rex cum extra SERMONEM ponet.* Idcirco rectè Beyerus *specim. Jur. Germ. Lib. 3. c. 10. §. 14. observat, potestatem Germanis constanter vocari tutelam, (Vormundschaft) quæ penes patres, maritos, & tutores eadem fuerit, & in jure ususfructûs, atque obligatione alterum alendi constituisse videatur.* Qui quæve ergo in nullius sive parentis, sive domini, sive patroni, sive mariti, sive tutoris, sive advocati, potestate, tutela, vel mundio erat, is, cæve erat sui juris, vocabaturque AMOND. LEX LON-

LONGOB. *Lib. II. §. XXXIV.* Cæterùm quanta fuerit apud Vet. Germanos parentum in liberos potestas, ex Tacito haud constat. Medio ævo, quod nostri modò non est instituti, pro varietate provinciarum, legùmque variâsse etiam hanc potestatem, passim legitur. Plerumque tamen ad ductum Juris naturalis observatum fuisse tradunt; ita ut tum patri, cùm matri competiisse doceant: Hinc constituisse, volunt potissimum in facultate dirigendi actiones eorum, qui sunt de familia, illorùmque bona ad familiæ utilitatem administrandi, tuendique, saltem quamdiu se, suaque filii dirigere, vel administrare non poterant.

I. Reflexio Hist. Critica.

Patriam potestatem tribuisse olim jure Rom. jus vitæ, & 3
necis in liberos, ambigere non sinit textus in *l. II. ff. de lib. & postb. & l. fin. C. de patr. pot.* Num & apud antiquos Germanos? De Gallis affirmat Cæsar de Bello Gall. *lib. 6. c. 19. Viros apud illos in uxores pariter, ac liberos, vitæ, necisque habuisse potestatem.*

De Germanis nostris id ipsum asserere, satis erit periculoso- 4
sum. Sanè esto Laud. Cæsar. *ubi supra cap. 19. Germanorum mores cum Gallorum institutis comparaverit, altè tamen de hac facultate silet: Nec Tacitus quid memorat. Imò in fit. c. 19. Numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare, flagitium habetur, plusque ibi boni mores valent, quàm alibi bonæ leges.* Quod si lubeat pace nostra sub Germanorum barbarie id indulgere, abs dubio credimus, hunc rigorem paulatim ab usu recessisse iis sæculis, quibus Christianæ religionis cultus rudioribus Germanorum moribus rubiginem veluti deterisit, relictâ parentibus modicâ tantùm castigandi facultate. Sic LEX WISIGOTHICA *lib. IV. tit. V. §. I. Flagellandi, inquit, & corrigendi liberos, quamdiu sunt in familia constituti, tam ævo, quàm avie, seu patri, quàm matri, potestas manebit.* Contrà eadem lex liberos, qui injuriam atrocem intulerint parentibus, à judice virgis cædi, & liberorum eadem capitalem esse jubet. *Lib. VI. tit. III. §. VII.*

De Jure venundandi liberos nec Cæsar, nec Tacitus quidquam memorant. Lege Wisigoth. *Lib. V. Tit. IV. §. 12.* expressè reprobatur. Ostrogothi verò *Edict. Theod. cap. 94.* & *jur. prov. Alam. cap. 407.* pro calu cogentis necessitatis admittebant.

§. II.

De modis, quibus patria potestas introducebatur.

5 **P**OTISSIMAM & vix non ferè unicam causam patriæ potestatis inductivam fuisse justas Nuptias, veritati consentaneum existimamus, ut mox clariùs fiet. De nuptiis autem ineundis tractabant Germani plerumque, ut refert Tacitus. *cap. 22.* in conviviis. Ait ibi: *Sed & de reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, & adsciscendis principibus, de pace denique, & bello plerumque in conviviis consultant:* Et velut *Sera*, ceu tradit idem Auctor *c. 20.* *erat juvenum venus, eoque inexhausta pubertas, adeò ut pariter nec virgines festinarent,* ita, teste eodem Tacito *c. 18.* adeò severè habebantur matrimonia, ut nullam morum partem magis laudaveris; *Nam* (pergit ibidem) *prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur.* Exemplum duarum uxorum exhibet Cæsar *B. G. lib. I. de Ariovisto*, dum ait: Duo fuerunt Ariovisto uxores: una Sueva natione, quam domo secum adduxerat: altera Norica Regis Vocionis soror, quam in Gallia duxerat à fratre missam. Hinc ex verbis Tacit. *admodum paucis* arguendum, vix aliis, quàm Regibus atque Principibus licuisse. Quapropter meritò ita exclamat *H. Conringius de Rep. antiq. vet. Germ. §. 17.* *Hæc, me hercules! Cornelii verba arguunt, Majores nostros hac quidem parte omnibus, etiam totius terrarum orbis gentibus, longè esse præferendos: neque enim hoc de ullo alio populo, aut natione legimus.* Morem dandarum dotium superiùs (*Sect. 5. §. 1. reflex. 1.*) retulimus. Sic accipiebant oblata, ut liberis inviolata redderent, & quæ nurus obtinebat, ad nepotes referret. *Septa pudicitia* (Mulieres) agebant, nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptæ. *Paucissima* (quod de

de barbaris ferè populis mireris) in tam numerosa gente adulteria, quorum poena praesens, & maritis permessa. Accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verberare agit. Publicatae enim pudicitiae **NULLA VENIA**. Non formam, non aetate, non opibus maritum invenerit. O quantum distamus ab illis! Erat igitur accisio crinium ad ignominiam: sunt enim crines mulierum decus, & ornamentum: Verberatio, seu fustigatio ad castigationem.

Nec mitior erat animadversio apud quosdam Saxoniae 6
populos (Old-Sassen Holfatiam intelligi volunt) ut constat ex Epistola Konifacii ad Aethelaldum apud Baronium ad Annum 545. Ibi: In antiqua Saxonia, si mulier maritata, fracto foedere matrimonii, adulterium perpetraverit, aliquando eam cogi propria manu per laqueum suspensam vitam finire, & super bustum illius incense, & concrematae corruptorem ejus suspendi; aliquando, congregato exercitu foemineo, flagellatam eam mulieres per pagos circumquaerere, virgis cadentes, & vestimenta ejus abscindentes juxta cingulum, & cultellis suis totum corpus ejus secantes, & pungentes minutis vulneribus, cruentatam & laceratam de villa in villam mittere, & occurrere semper novas flagellatrices (vix hodie suppeteret numerus) zelo pudicitiae adductas, eamque aut mortuam, aut vix vivam derelinquere, ut ceteri timorem adulterandi & luxuriandi habeant.

Nec deerant Civitates, in quibus tantum virgines (ra- 7
riores hodie forent nuptiae) nuptui tradebantur, & cum spe, votoque uxoris transigebatur: Unum accipiebant maritum, quo modo unum corpus, unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum, sed tanquam matrimonium, amarent. Ita ferè Tacit. c. 19. Unde Procopius de Bell. Goth. Lib. IV. scribit, apud Varnos Germanic. gentem matrimonii vinculum fuisse tam sacrosanctum, ut sponso, nisi ob stuprum, non licuerit sponsam dimittere. Haud dubie uti praecipuum hoc prisca Germani à proavis suis Noacho, Japheto, Comero, & Aschenaze in Asia acceperant, ita eos quam religiosissime postea in Germania observasse, credendum est. Juxta praecipuum DOMINI. Quam ob rem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhaerebit

uxori suæ, & erunt duo in carne una. Quibus verbis addit Matthæus c. 19. v. 4. *Itaque non sunt jam duo, sed caro una.* Sed quid hæc ad illos, qui sicuti verum DEI cultum, ita & SS. Paginas ignorabant? At non ignorabant illi, à quibus hæc acceperunt; esto eorum posteri pededentim à vera religione declinaverint. Sanè tanto honore, pergit Procopius *loc. cit. Pudicitia apud barbaros colitur, ut fœmina, de cujus nuptiis actum est, etiamsi corpore sit integra, pro corrupta habeatur.* In his ergo Germanorum civitatibus aut sponso nubendum erat, aut nulli. Tradit insuper Cæsar de B. G. Lib. 6. c. 21. Ibi: *Qui diutissimè impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem: hoc ali staturam, at vires, nervosque confirmari, putant: intra annum verò vicefimum fœminæ notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus.* Nostris moribus si non cum lacte materno hanc imbibunt, à parentibus magnis sumptibus sub prætextu, ut discant vivere, prò pudor! comparatur.

I. Reflexio Critica.

8 Levitas videri posset, quòd Germani nuptiarum tractatus (rem adeò seriam) in conviviis peregerint. Quid enim ibi, nisi inanis, aut sumptuosus luxus? Audi Senecam *Epist. 95. In Rhetorum, & Philosopherum Scholis solitudo est. At quàm celebres culinae sunt, quanta circa nepotum focos juvenus premit? Transeo puerorum infelicium greges; quos post transacta convivia, aliæ cubiculi contumellæ expectant. Transeo agmina exoletorum, per nationes, coloresque descripta, ut eadem omnibus levitas sit, eadem primæ mensura lanuginis, eadem species capillorum, ne quis cui rectior est coma, crispulis misceatur. Transeo pistorum turbam, transeo ministratorum, per quos signo dato ad inferendam cœnam discurritur. Dii boni! quantum hominum unus venter exercet.* Carpit ulteriùs vaticinando convivia *Lib. 1. de Benef. c. X. Nunc conviviorum vigebit furor, & fœdissimum patrimoniorum exitium culina: Paulò post: Habebitur aliquando ebrietati honor, & plurimum meri cepisse, virtus erit.*

9 Num fortè aliter rem se apud Germanos habuisse existimas? Falleris! Tacitus c. 22. Germanorum convivia ad amussim describit. *Diem, insit, noctemque continuare potando nulli probrum:*

brum: crebra, ut inter vinolentos, rixæ: Rarò conviciis, sæpiùs cæde, & vulneribus transfiguntur.

Sint ista! Rationem nihilominùs illius moris satis congruam affert ipse Noster cit. cap. 22. in verbis: *Tanquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus; aut ad magnas incalescat. Gens non astuta, nec callida, aperit adhuc secreta pectoris licentia loci. Ergo detecta, & nuda omnium mens postera die retractatur: & salva utriusque temporis ratio est. Deliberant, cum fingere nesciunt: constituunt, dum errare non possunt.* Adde, quòd apud antiquos Germanos, teste eod. Tacito cap. 19. plus valuerint boni mores, quàm alibi bonæ leges: Nec novum sit etiam inter pocula seriò agere. Juxta illud: *In vino veritas.* At quisnam in contrahendis nuptiis ritus? Habes hunc ex Tacito supra Sect. 5. §. III. Reflex. 1. Si plura sciscitaris circa ritus nuptiales antiquiorum Germanorum (de medio ævo nobis hìc non est sermo) ignoramus.

II. Reflexio Critica.

Septa pudiciã mulieres (repetimus verba Taciti c. 19.) **Age-IT** bant, nullis spectaculorum illecebris, nullis convivorum irritamentis corruptæ. Optima profectò cautela! Quid enim magis vitandum putas? *Turbam.* Reponit sapientissimus ille morum Magister Seneca Epist. VII. *Ego certè, pergit ibid. confiteor imbecillitatem meam: Nunquam mores, quos extuli refero. Aliquid in eo, quod composui, turbatur: aliquid in his, quæ fugavi, redit.* Post pauca: *Nibil verò est tam damnosum bonis moribus, quàm in aliquo spectaculo desiderare.* Tunc enim per voluptatem faciliùs vitia surrepunt: *Avarior redeo, ambitiosior, LUXURIOSIOR.* Quàm periculosa mulieribus sint convivia, satis patenter, & emphaticè describit mox prælaudatus, nec satis laudandus Auctor Epist. 95. ubi morborum causas convivia esse, ostendit: *Maximus, inquit, ille Medicorum, & hujus scientiæ Conditor, fœminis nec capillos destuere dixit, nec pedes laborare, atqui hæc jam & capillis destituuntur, & pedibus ægra sunt. Non mutata fœminarum natura, sed vita est. Nam cum virorum licentiam equaverint, corporum quoque virilium vitia equa-*
ve-

verunt. Non minus pervigilant, non minus potant, & oleo, & ^{impro} viros provocant: aequè invitis ingesta visceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remetiuntur: aequè nitrem rodunt, solatium stomachi astantis. Libidine verò nec maribus quidem cedunt, pati nate. Dñi illas, deaque malè perdant! adeò perversum commenta genus impudicitiae! viros ineunt. Quid ergo mirandum est, maximum medicorum, ac natura peritissimum in mendacio prebendi, cum tot foeminae podagrica, calvaeque sint? Beneficium sexus sui vitis perdidit: & quia foeminam exuerunt, damnatae sunt morbis virilibus. Haec non ego (lapidibus enim, si ex me in vulgus prodirent, obruerer) sed Seneca! non audeo dicere, veracissimus. Interim quas ista non tangunt, nec argent. Jam ad nostra redeundum.

III. Reflexio Histor.

12 Num apud Vet. Germ. concubitus necessarius? Mediâ ætate vix dubitandum. Sanè jure Prov. Saxon. *Lib. I. artic. 45.* sic legitur: *Sie ist seine Genossin, und tritt in sein Recht, wenn sie in sein Beth tritt.* Hinc nuptias facere Germanis est copulare aliquem suo strato, Greg. Turon. *hist. IV. c. 9.* vocant: *die Decke beschlagen.* Quod adeò videbatur ad essentiam matrimonii pertinere, ut adimpletum hoc videretur simul, ac sponsus, sponsaque vel uno momento eodem lecto cubuissent. Hinc ÆNEAS SYLV. in *vita FRIDERICI III.* refert, Imperatorem, exceptâ Neapoli Sponsâ, Eleonorâ, Lusitanicâ, tempus nuptiarum (sive quòd noluerit sanguinem Italicum sibi nasci, sive quid aliud religionis in mente gesserit) traxisse: Moestâ ob id virgine, seque contemni suspicante, Alfonso Regem, vehementer rogâsse Imperatorem, ut sponsam tandem aliquando in torum reciperet. Hunc itaque jussisse Teutonico more stratum apparari, jacentique sibi Eleonoram in ulnas, amplexusque dari, ac, presente Rege, cunctisque proceribus adstantibus, superduci culcitram: neque aliud actum esse, nisi datum osculum. Fuisse enim ambos vestitos, moxque inde surrexisse. Addit Æneas: *Sic consuetudinem Teutonorum se habere, quum Principes primùm jungantur: mulieres verò Hispanas, quae adfuerint, arbitratas, rem seriò geri, quum superduci cul-*

citram vidissent, exclamasse, indignum fieri facinus, Regemque, qui talia permetteret, increpasse. Hunc autem non sine risu & jucunditate spectasse peregrinos mores. Hinc planè Germanicus fuit ille ritus, quò olim legatus, vel procurator, à Principe ad adimplendum matrimonium missus, pedem, vel nudum, vel armatum, lecto, in quo cubabat sponsa, immittere, eumque illicò retrahere solebat. Vid. III. à LUDEWIG *de matrim. per procurat. Dissert. 8. c. 3.* De his autem vel de muneribus aliis, quàm superius dictum, Taciti ævo nil constat; hinc & nobis silendum.

§. III.

De ipsa Oeconomiae Administratione.

NUM & de Maritali, aut tutelari potestate omninò silendum? De hac fanè cum Tacito altum silentium, nisi ea, quæ habet Laud. Author c. 20. huc reducere velis. Ibi: *Sororum filii idem apud avunculum, qui apud patrem honor. Quidam sanctiorem, arctioremque hunc nexum sanguinis arbitratur, & in accipiendis obsidibus magis exigunt, tanquam ii, & animum firmitus, & domum latius teneant.* Cur, rogas, Sororum filii apud avunculum? Et quare id minùs fratrum filii? An quia de sororum magis quàm de fratrum filiis constat? Lyciis certè nullam aliam rationem fuisse antiquis temporibus, putat Cluv. *ad fin. c. 21. Lib. 1.* quàm, quia, teste Herodoto *Lib. 1.* à matribus omnes ducebant genus: Mater quippe certa est.

De illa paucissima cape! Maritalis potestas respicit vel personam uxoris, vel bona. Jam etsi Tacitus nihil in specie commemoret, non dubitamus tamen, virum fuisse caput familiæ, debuisseque mulierem eum sequi, ut colligi potest ex cit. *Auctore de M. G. c. 7. 8. 18. 19.* relicta tamen cæteroquin curâ rei domesticæ fœminis, senibusque. *Ibid. c. 15.* In verbis: *Fortissimus quisque, ac bellicosissimus nihil agens: delegatâ domûs, & penatium, & agrorum curâ fœminis, senibusque, & infirmissimo cuique ex familia, ipsi bebent:* Addantur ea, quæ habentur *ibid. cap. 25.* Ibi: *Fru menti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colono injungit: &*

P

ser-

servus haftenus paret. Cetera domus officia uxor, ac liberi exsequuntur. Omnia regebantur in commodum familiae, ac liberorum. Monebatur uxor, ut supra retulimus, accipere se, quae liberis inviolata, ac digna reddat, quae nurus accipiant, rursus ad nepotes referant.

15. Haeredes, successorésque cuique erant primò liberi: nullumque testamentum: Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione, fratres, patrum, avunculi. Quàntò plùs propinquorum, quò major affinium numerus, tantò gratiofior senectus. nec ulla orbitatis pretia. Maximus matrum in liberos affectus, quippe infit Tacitus *c. 20. Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis, ac nutricibus delegantur.* Hoc de nobilissimis etiam, & principibus foeminis intelligas, vult Cluv. *Lib. 1. c. 21.* nam plebeis nullae, aut rarò erant ancillae, cum ipsae matres familias non modò domestica officia; sed & rurestres labores, ex dictis superius, obièrint. Habent multoties, quod discant Nostrae!

Curta Vet. Germanorum suppellex: Dominus, ac Servus nullis educationis delitiis dignoscebatur: Inter eadem pecora, in eadem domo utrumque degere vidisses, donec aetas separaret ingenuos, virtusque agnosceret. Tegumen omnibus sagum, fibulam, aut, si deerat, spinam confertum: caetera intecti, totos dies juxta focum, atque ignem agere consueverant. Locupletissimi veste stricta, & singulos artus exprimente distincti, ferasque eligere, & detracta velamina maculis, pellibusque beluarum quas exterior Oceanus, atque ignotum mare gignit, spargere soliti. Nec alius foeminis quam viris habitus, nisi quod foeminae saepius lineis amictibus velarentur, eosque purpura variarent. Nec pars superioris vestitus in manicas extendebatur: Nuda brachia, & lacertos: Haftenus dicta confirmat Mela *Lib. 3. c. 3. Maximo frigore nudi agunt, antequam puberes; & longissima apud eos pueritia est. nempe ad vigesimum usque annum. Viri sagis velantur, aut libris arborum, quamvis seva hyeme.*

16. Eorum cibi simplices, agrestia poma, recens fera, aut lac concretum. Sine apparatu, sine blandimentis expellebatur famés. Adversus sitim non eadem temperantia: Potui humor ex hor-

hordeo, aut frumento, in quandam similitudinem vini corruptus. Vinum mercari non erat insuetum: Foenus verò agitare, & usuras extendere ignotum, ideòque magis servabatur, quàm si vetitum fuisset. Nulla Germanis funerum ambitio id solùm observantibus, ut clarorum virorum corpora certis cremarentur lignis. Struem rogi, inquit Noster *c. 27.* nec vestibus, nec odoribus cumulant: sua cuique arma, quorundam igni, & equus adjicitur. Sepulcrum cespes erigit. Monumentorum arduum, & operosum honorem, ut defunctis gravem, aspernantur. Lamenta & lacrymas citò, dolorem & tristitiam non tam facilè ponere persuasisses: Foeminis lugere honestum videbatur, viris meminisse.

I. Reflexio Critica.

Laudasse nos Vet. Germanorum mulieres, quòd suam¹⁷ quæque sobolem uberibus alat, nostras autem ad capiendum documentum ablegasse, nec piget, nec poenitet. Ultra quid addere placet, ne frustra videamur conqueri; esto simus dubii, num sequens abusus ad nostras usque derivaverit. Durum est, & eò magis, quia vulgare, quòd, teste eodem Cluv. *loc. mox cit.* in quibusdã regionibus consueverint secundo mox, vel tertio à lustratione die, infantem in rus nutritum amandare: nec, nisi tertio, vel quarto, vel etiam sexto mense, imò interdum anno, ac biennio post revisere, aut visum accersere. Quibus sanè foetibus injuriam fecisse videtur natura, quòd non ex tigride, ut ait Cluv. vel ursã, vel lezã, vel aliã quavis ferarum gigni dederit; quarum nullam tam facilè relinquere posse foetum suum, comperimus. Novi puerperas, pergit Auctor, quæ, ut primam proles in lucem edita, quiescere omninò vel nequibant, vel nolabant, antequam foras nutritum protruderetur; quiritantes, quoad infans in iisdem secum maneret ædibus, nunquam satis à domesticis sibi ministrari. O egregium amorem maternum! O humanitatem mirandam! Haud dubiè tamen indulgendum; si vel ob debilitatem, ægritudinem, aut aliud non leve impe-

dimentum aliis ad lactandum, vel educandum committantur. Sed quid hæc ad nos?

II. Reflexio Hist. Crit.

18 Meminimus, ductore Tacito nostro c. 15. dixisse nos domus, & penatium, & agrorum (haud dubiè, ac præcipuè etiam Liberorum curam foeminis delegatam. Profectò non minor erat sollicitudo domestica, quàm affectus in curandis, & educandis prolibus. Notat utrumque Strabo Lib. III. ubi Hispanicarum mulierum fortitudinem, & duritiam narrat; his ex græco translatis verbis: *Hæc Hispanis communia sunt cum Celticis, Thracicis, Scythicisque gentibus. Sicut & fortitudo, non virorum modo, sed & foeminarum: hæc namque agros colunt. Et quum pepererunt, suo loco viros decumbere jubent, iisque ministrant. Atque inter operandum sæpè infanteis lavant, & fasciis involvunt, ad stumen aliquod inclinantes. Possidonius tradit, sibi in Liguria hospitem suum, Charmolaum Massiliensem, narrasse; quum à se ad fossionem quamdam conducti essent viri pariter, ac foeminae; inter has quamdam, doloribus partus correptam, non longè ab opere secessisse: editoque foetu, AD OPUS REDIISSSE; NE MERCEDEM AMITTERET. Quam ipse, quum egrè opus facere videret; primòque causam ignoraret; tandem, re cognitâ, mercede datâ, dimisit. Mulierem ad fonticulum quemdam extulisse infantem; lotumque, & pannis, quos habebat, involutum, domum incolumem detulisse. Eandem historiam recitat & Diodorus Lib. 4. ubi sic ait: Ligures foeminas quoque in laborum communione adsciscere solent. Quumque mercede mulieres simul, ac viri operam elocent; res quædam mira, & nostratibus insolens, mulieri cuidam evenit: prægnans dum opus inter viros mercenarium facit, partus doloribus coacta, in virgultum quoddam, absque strepitu secedit. Ibiq; enixa infantem, foliis involutum inter arbusta abscondit: & operariis denuò immixta, citra partus indicium eundem cum ipsis laborem continuat. Re autem per vagitum infantis patefactâ, præfectus operis nullâ ratione puerperam inducere potuit, ut ab opere desisteret. Nec illa antè cessavit, quàm conductor ejus misertus, persolutâ mercede, vacationem ab opere ei concessit. Non uni soli id apud Ligures mulieri*

CCV-

evenisse, sed vulgare inter reliquas fuisse, ostendit Aristoteles, Possidonii ætate multò prior, in mirandis suis, his verbis: *Peculiare & hoc apud Ligures ajunt esse; quòd mulieres, dum opus faciant, pariunt: lotòque infante, ad sarculum mox, ac fossionem redeunt; aliàque obeunt munia, puerperis minimè convenientia.* At quorsum ista? Parum patientiæ rogo. Porrò hoc non solùm Ligurum mulieribus; sed Hispanorum quoque, Gallorum, GERMANORUM, Thracum, atque Scytharum foeminis fuisse commune, satis apertè docet Strabo, verbis suprà citatis. Ex quibus ad finem simul colligere est, mulierem ad fontem properasse, lotumque infantem domum retulisse. Cur ad fontem? ad aquam frigidam? Philosophum interroga. Hic *politicor. Lib. VII. cap. ult.* ita scribit: *Conducit autem tum sanitati, tum bellicis actionibus, statim ad frigora assuefacere à parvulis. Quocirca multi barbarorum hunc habent morem, ut alii infanteis, simul ac editi sunt, frigido flumini immergant; alii brevi tegumento vestiant: ut Celtæ faciunt.* Si de Germanorum matribus adhuc hæreas, dubium eximet Galenus satis antiquus Auctor, qui *Lib. I. de tuenda sanitate* ita tradit: *Quis, quæso, nostrum sustineat, modò editum infantulum, & ab utero adhuc calentem, ad flumen deferre; ibique, UT APUD GERMANOS FIERI ajunt, ceu candens ferrum, in frigidam aquam immergendo, simul de natura vigore periculum facere, simulque corpus ipsum roborare?* Hujus moris causa se ipsam ex dictis prodit, simulque post Galenum, & alios confirmat Virgil. *Æneid. IX.* ubi Numanum Remulum, natione Rutulum, introducit ita loquentem:

Durum à stirpe genus: natos ad flumina primum

Deferimus; sævòque gelu duramus, & undis.

Longè tamen aliam, satisque insolentem narrat Julianus Cæsar, in epistola ad Maximum, his verbis: *Certè Celtis injuriam nullam facit Rbenus; qui spurios infanteis undis abripit, tamquam impuri lecti vindex: quos autem ex puro semine ortos agnovit, bos in summa aqua suspendit, matrisque trementis manibus reddit; & quasi verum, incorruptumque casti, & laudabilis conjugii testimonium, servato infante, persolvit.* Huic & alii Auctores subscribunt, ut Nazianzenus hoc versu:

Celtae quidem explorant prolem Rbeni fluentis.

Exhibetur etiã quoddam epigramma Græcum latinè sic sonans:

*Animosi Celtae flumine zelum habente Rbeno
Natos explorant: Et non prius sunt parentes,
Quàm viderint puerum ablutum flumine venerando.*

Paulò post:

*Nondum enim genitoris fert animam, antequàm intuetur
Judicatum fluentis lectum reprehendentis furvi.*

Item Claudianus, in Ruffinum Lib. III.

Et quos nascenteis explorat gurgite Rbenus.

Nonnus Lib. 23.

*Rbenus Iberus contra infanteis armatur: sed ut Judex;
Et occultum partum discernens generationis,
Occidit peregrinas proleis.*

Et Lib. XLVI.

*Barbaras legeis ferentem judico beatam terram Celtarum:
Ubi recens natorum infantium purum partum docens
Rbenus, incerti judex partus,
Sanguinis ignoti adulterinum genus novit arguere.*

Theophylactus Celticus quoque amnis inter genuinum, ac spurium, interque virtutem, ac improbitatem verissimus est judex. Eustathius in **Dionysium Alexandrinum: Hic autem Celticus est Rbenus, qui dicitur foetus spurios à legitimis discernere; nam legitimos sustinet; spurios verò in aque fundum submergit.**

Verùm si hoc? Cur tacitus morum Germanicorum accuratissimus Scriptor nil memorat? Quam ob rem multi hæc testimonia de Gallis: non de Germanis intelligunt; hinc volunt, Celtarum nomine hic tantùm venire Gallos. Atque in hanc sententiam Claudianus quoque apertã viã ducit; cujus verba integra hæc sunt:

*Inde truces flavo comitantur vertice Galli;
Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit;
Et quos nascenteis explorat gurgite Rbenus;
Quosque rigat retrò perniciosior unda Garumne.*

At Galenus in specie de Germanis hoc memorat! Non abnuimus:

mus: sed Germanorum nostrorum ratio longè erat alia, quàm ea, quæ à Juliano Cæsare, qui probabiliter, & aliis Auctoribus ad hæc testimonia primus occasionem præbuit, allegatur. Accedit, quòd Julianus non experiundo, sed fando, se id accepisse, disertè testetur in libro de rebus à Constantino gestis. Verba ejus hæc sunt: *Gallis quoque, AJUNT, flumen contingere prolis incorruptum judicem. quem non sectantur, neque matres lamentantes, ut peccatum occultet, neque patres, uxoribus, ac progeniei judicium metuentes. Verax autem est, ac minimè fallax.* Nos in medio relinquitur: Interim, ceu patet ex dictis, nec Germani nostri superstitionibus erant exempti.

III. Reflexio Critico-Histor.

Cave, ita monet Cluver. *Lib. 1. cap. 16.* per pelles heic intelligas indumentum, sive vestimentum aliquod pellibus confutum; uti quidam parùm periti interpretantur. Propter exiguitatem pellium, ait Cæsar, magnam fuisse corporis partem nudam, atque apertam. Ergo tegumentum id unâ tantum, constitit pelle. Quod dilucidius patet ex Taciti *Annal. Lib. 2. c. 12.* ubi de Germanico Cæsare, pugnam cum Cheruscis inituro, sic refert: *Propinquo summa rei discrimine, explorandos militum animos ratus, quònam id modò incorruptum foret, secum agitabat. Note cepta egressus augurali, pergit cap. 13. per occulta, & vigilibus ignara, comite uno, contactus HUMEROS FERINA PELLE, adit castrorum vias, assistit tabernaculis, fruiturque famâ sui.* Hæc Germanicus in ipsa Germania, ad Visurgim amnem, more militum Germanorum, in castris Romanis militantium, *ferinâ pelle contactus.* Et hæc de Cæsaris, & Taciti ævo. Nec enim negandum, posterioribus sæculis Germanos cultiùs egisse. Cæterùm pilos harum pellium non introrsum, sed extrorsum fuisse conversos traditur. Quò spectat illud Ovid. *de Ponto Eleg. VI. de Getis, sive Dacis Germanorum finitimis:*

Aspicit hirsutos cominus ursa Getas.

Argumentum fortè mutuare licebit ex illo *Gen. cap. 3. v. 21. Fecit Jebova Deus Adamo, & uxori ejus tunicas pelliceas, quibus vestivit*

vit eos. His lucem foeneratur sacer Textus *ibid. vers. 7. Tunc aperiebantur oculi amborum : cognoveruntque, se nudos esse, & confusis foliis ficulneis fecerunt sibi subligacula.*

IV. Reflexio Critico - Hist.

21 At qui persuadebis, tantam majores nostros assuevisse barbariam, ut pecorum ritu, pudendis intectis incesserint? Eadem fuit ipsis ratio, quæ in reliquis per orbem gentibus. Quàm nullus in totius corporis nuditate apud nostros fuerit pudor, sat disertis indicat verbis Cæsar, *de B. G. Lib. 6.* ubi sic scribit: *Intra annum vigesimum foeminae notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus. Cujus rei nulla est occultatio; quod & promiscue, id est, viri pariter, & foeminae, in fluminibus perluuntur, & pellibus, aut parvis rhenonum tegumentis utuntur (quorum extrema vix ultra umbilicum descendebant. Cluv. Lib. 1. c. 16. pag. 134.) magna corporis parte nudâ.* Scilicet, nec coitus, nec pudendorum, virilium juxta ac muliebrium ulla erat occultatio. Quod & apud alias gentes viguisse, ac adhucdum in extero Orbe vigere, notum est. Quid ergo per rhenones intellexit Cæsar? omnium clarissime exponit Isidorus *Lib. 19. c. 23.* *Rhenones, inquit, sunt velamina humerorum, & pectoris, usque ad umbilicum; atque intortis villis adeò bispida, ut imbres respuant.* Ergo in his quoque pili, ut in supradictis pellibus, foras fuerunt conversi. Nomen à quodam animali cervo haud multum absimili (quod Scritofinni, modò gens in Scandinavia *eenrbene* appellabant) traxisse volunt. Huc etiam spectant dicta superius *Sect. 5. §. un. Refl. 2.*

V. Reflexio Hist.

22 Porrò aliud adhuc habuit antiqua Germanorum gens tegumenti genus, quod Mela indicat *Lib. 3. c. 3.* in verbis supra relatis. *Viri sagis velantur, AUT LIBRIS ARBORUM, quamvis servâ byeme.* Strabo *Lib. 15.* Germanorum eos esse honoratissimos ait, qui Hylobii appellantur, nomine inde tracto, quòd in silvis degant, è frondibus & silvestribus fructibus viventes, arborum libris tecti. At quidnam liber arboris? Nonnulli intel-

li-

ligunt duriorē arboris corticem. Sed rectius fortè illi, qui tuni-
cam arboris interiorem, ipsi ligno proximè adhærentem ex-
posuerunt: Est quippe pellicula illa, quæ interiori corticis par-
ti adfixa, ipsum lignum proximè contegit. Cicero *Lib. 1. de na-
tura deorum: Trunci obducuntur libro, aut cortice, quò sint à calori-
bus, & frigidibus tutiores.* Huc referri potest illud Plinii in
procem. *Lib. 12.* Ait ibi: *Summum munus homini datum arbores, sil-
væque intelligebantur; hinc primum alimentum: barum fronde mollior
specus, libro vestis: Etiamnum gentes sic degunt.* Id confirmat *Lib. XIII.
cap. XI. Palmarum foliis primò scriptitatum. Deinde quarundam ar-
borum libris.* Jung. Cluv. cit. c. 16. pag. 139.

VI. Reflexio Historico-Critica.

Scribit Tacitus: *Locupletissimi veste distinguuntur, non sicut ante²³
sed strictà, & singulos artus exprimente.* Nolim credas ad hodie-
num morem: Haud dubiè potiùs ad similitudinem illius, quam
de quodam Veneto describit Nicetas Croniates inferioris ævi
Scriptor: *Erat is vestitu patrio indutus, qui ferè corpori attextus, &
adsutus undique erat, manibus tantùm, ac brachiis, pectorèque apertis.*
Sidonius tam strictam fuisse innuit, ut adsuta videretur: quæ
descriptio certè vestibus, quibus modò utimur, accommodari
nequit. „ At verò (ita refert Cluv. *Lib. 1. cap. 16.* est hodièque
„ agrestibus in Francia Transrhenana, Sueviæque hominibus
„ vestitus, quàm proximè ad Taciti, Sidonii, Nicetæque descri-
„ ptionem accedens; corpori tam strictè adaptatus, ut adsutus
„ planè videatur: maximè in inferiori corporis parte: ubi non
„ modò nates quàm disertissimè exprimuntur, sed etiam, quæ
„ pudoris, verecundiæque causâ abscondere decebat, ipsa ob-
„ scœna quàm manifestissimè ostenduntur. Qui sanè cultus foc-
„ dissimus, atque abhorrendus, nil nisi improbam libidinem
„ nuptis juxtà, atque innuptis irritans, à barbaro illo majorum
„ nostrorum more promanavit: apud quos nudum, pecorum
„ ritu, incedere, tergo tantùm, atque humeris, lacertisque pri-
„ moribus tectis, & promiscuè in fluminibus viros cum foemi-
„ nis perlui, nullus planè fuit pudor. „ Differebat tamen Vet.

Q

Ger-

Germanorum vestitus, ab hodierno Francorum, Suevorumque habitu, quòd hi totum corpus ore tantum; atque manibus apertis vestiantur: Illi brachia, atque crura intacta fuere. Ita Sidonius *Lib. 4. Epist. 20.* ubi Gothorum cultum describit: „Regulorum; sociorumque comitantium forma, & in pace terribilis. Quorum pedes primi perone setoso talos adusque vinciebantur: genua, crura, suræque sine tegmine: præter hæc vestis alta, stricta, versicolor vix appropinquans poplitibus exercitis: manicæ sola brachiorum principia velantes. „ Idem de Gothorum Senatoribus *carm. VII.*

VII. Reflexio Histor.

- 24 Num ergo nullus fuit Germanorum Vet. ornatus? Tacitus rursus ad eundem. „Gaudent, ait *cap. 15.* præcipuis finitimarum gentium donis, quæ non modò à singulis, sed publicè mittuntur: electi equi, *magna arma, phalera, torquesque.* Tacito ad stipulatur Florus, qui *Lib. 4. cap. ult.* de Druso, bellum in Germania auspiciis Cæsaris Augusti gerente, sic tradit: *Inde validissimas nationes, Cheruscas, Suevosque, & Sicambros pariter aggressus est. Qui viginti centurionibus crematis, hoc velut Sacramento sumferant bellum; ad eam certam victoriæ spe, ut prædam in antecessum pacatione dividerent. Cherusci equos, Suevi AURUM, & ARGENTUM, Sicambri captivos elegerant. Sed omnia retrorsum. Victor namque Drusus equos, pecora, TORQUES eorum, ipsosque prædâ divisit, & vendidit.* Sane Populos nostros etiam usum armillarum aurearum, ac anulorum à finitimis Gentibus accepisse, multi non ambigunt, videturque exinde satis credibile, cum mos iste, de quo etiam in SS. Literis fit mentio, fuerit antiquissimus.

VIII. Reflex. Histor. Critic.

- 25 *Nec alius, inquit Tacitus, foeminis, quam viris habitus.* Hæc tamen verba non ita intelligas, quasi foeminæ quoque vestem strictam, & singulos artus exprimentem indutæ fuerint, id est, thoracem, ac brachia: hoc enim perquam fuerit absurdum. Sed nonnullæ stercis tantum, pellibus ferinis, rhenonibus, aut sagis

gis velabantur; cæterà intactæ, ut viri. quod etiam pertinent verba ista: *Quamquam severa illic matrimonia: nec ullam morum partem magis laudaveris; quæ malè quidam, atque inscitè trahunt ad ista; nudæ brachia, ac lacertos. Sed & proxima pars pectoris patet. Quasi hoc adeò fuerit magnum: quum tamen in pectoris parte nuda nihil habuerit Tacitus, quod adeò miraretur. Et quid mirum, foeminas quoque heic maximâ corporis parte, adeoque pudendis incessisse nudas? quum promiscuè & ipsæ cum viris in fluminibus sese laverint; & rei Veneræ nulla fuerit occultatio: ut testis est Cæsar, locis suprâ dictis.*

IX. Reflexio Histor.

Satis de vestitu. Quid de VICTU superest? *Cibi simplices, 26* ut superiùs retulimus, *agrestia poma, recens fera, aut lac concretum.* Profectò satis simplices, & absque gulæ incitamento! Nec tamen est aliter! Nec aliter scribit Cæsar *Lib. IV. de B. G.* ubi ita memorat: *Non multum frumento, sed maximam partem lacte, atque pecore vivunt: multumque sunt in venationibus. Et Comment. VI. Agriculturae non student. Majorque pars victus eorum in lacte, & caseo, & carne consistit.* His non abludunt, quæ habet Plin. *Lib. 18. cap. 17. Primum omnium frumenti vitium avena est. Et hordeum in eam degenerat; sicut ipsa frumenti fit instar: quippe cum Germaniæ populi serant eam; neque aliâ pulve vivunt. De Fennis tradit idem Tacitus noster cap. ult. Mira feritas, fœda paupertas: non arma: non equi: non pennates. VICTUI HERBA. Vestitui pelles, cubile humus. Sola in sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperant. Idemque venatus viros pariter, ac foeminas alit. Passim enim comitantur, partemque præde petunt. Nec aliud infantibus ferarum, imbriumque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur. Huc redeunt juvenes, hoc senum receptaculum. Id beatiùs arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus, suas, aliensque fortunas spe, metuque versare.*

Verùm enim verò quid lac concretum? Quale fuerit, haud 27 satis constat. Probabile nobis videtur, fuisse butyrum, aut etiam caseum: utrumque suadent tum ea, quæ habet Cæsar *loc. mox citat.* tum quæ scribit Plinius *Lib. 11. c. 41. Mirum barbaras*

gentes, quæ lacte vivant, ignorare, aut spernere tot sæculis casei dotem; densantes id alioquin in acorem jucundum, & pingue butyrum. Spuma id est lactis; concretiusque, quam quod serum vocatur. Satis apertè, disertèque butyrum heic appellat lac concretum, ut Tacitus. Hic ipse Auctor (Plinius) Lib. 28. c. 9. butyrum vocat lac coactum. In verbis: *E lacte fit & butyrum, barbarum gentium laudatissimus cibus, & qui divites à plebe discernat; plurimum è bubulo; & inde nomen, pinguisimum ex ovibus; fit & ex caprino: sed hyeme calefacto lacte; æstate expresso tantum, crebro jactatu in longis vasis, angusto foramine spiritum accipientibus sub ipso ore, aliàs præligato. Additur paululum aquæ, ut acefcat. Quod est maxime coactum, in summo fluitat. Id exemptum, addito sale, butyrum est, oleosum naturâ.*

X. Reflexio Historica.

28 Quid restat DE POTU. Potui humor (repetimus verba Taciti) ex ordeo, aut frumento in quamdam similitudinem vini corruptus: Antiquissimum, ac etiam apud alias Gentes usitatum. fuisse hoc potus mixti genus (quod vernaculâ Bier, latinè cerevisiam, italicè Birra, aliis cervigia, gallicè biere, aut etiam cervoise vocamus) colligitur ex iis, quæ de Æthiopicis testatur Strabo Lib. 17. his formalibus: *Milko, atque bordeo vicitant: ex quibus etiam potum sibi conficiunt.* Plinius Lib. 22. sub fin. cap. ult. *Et frugum quidem hæ sunt in usu medio. Ex iisdem sunt & potus, zythum in Ægypto; celia, & ceria in Hispania, cervisia, & plura genera in Gallia, aliisque provinciis.* Huc etiam videntur facere, quæ tradit idem Plinius Lib. 15. cap. 22. *Est, inquit & occidentis populis sua ebrietas, fruge madidâ: pluribus modis per Gallias, Hispaniasque; nominibus aliis, sed ratione eadem.* Antiquissimum itaque, uti monitum, esse debet potus hujusce generis, sicut ipsa ebrietas. Hinc pergit idem Strabo ubi mox supra: *Hispania jam & vetustatem ferre ea genera docuerunt. Nullaque in parte mundi cessat ebrietas. Meros quippe hauriunt tales succos; nec diluendo, ut vina, mitigant.* Scilicet idem potus eadem ratione ex fruge madida confectus, per Æthiopiam, Ægyptum, Hispaniam, Galliam, Britanniam, Germaniam, adeoque per omnes mundi partes bibeba-

batur ; speciebus tamen diversis, nominibusque aliis. Thracibus eundem fuisse nomine *Βεύρον*, auctor est Hellenicus, antiquissimus Scriptor, apud Athenzum *Lib. 10. cap. 14.* De Pannoniis item, Illyricâ gente, Dio *Lib. XLIX.* scribit: *Hordeum, ac milium edunt juxta, ac bibunt.* Apud Ægyptios certè tam vetustus fuit zythi potus, ut ab Osiride, vetustissimo eorum deo, inventum crediderint; teste Diodoro, *Lib. 1.* Atque hinc etiam in SS. Paginis Numer. cap. VI. Judic. XIII. & Lucæ I. per *sicram* Hebræorum, ipsum zythum intelligi, posse, suspicatur. Cluv. *Lib. 1. c. 17.* Utique quum Hebræi Ægyptiis fuerint ferè contermini; pars certè Syriæ antiquæ, quæ Ægypto contigua. Zythi igitur, sive cerevisiæ usum majores nostros jam à primordio gentis Celticæ, habuisse, & ex Asia in Europam transulisse, credibile videtur. Ethimologiam variè deducunt. Dicit volunt quasi *cerebibia*, quia *Ceres*, id est, fruges bibitur, vel quasi *Cereris vis in aqua.* Unde etiam ipsum vocabulum vulgò corrumpitur in *cerevisiam*: quum tamen nomen id non Latinum, sed Gallicum esse, testetur disertè Plinius *Lib. 22. cap. ult.* Magis placet Cluvero illorum ratio, qui à Gallico, sive Celtico vocabulo *Zerove*, quod nunc inferioris Rheni ripæ accolæ vocant *terve*, frumentumque significat, deductum existimant. In quo pretio, atque æstimatione priscis fuerit mortalibus, partim indicat Tacitus; ubi in *quamdam similitudinem vini corruptum humorem* esse affirmat: partim Diodorus; qui *d. Lib. 1.* Osirim, id est, Liberum patrem inventorem ejus tradit. *Quòd si qua tellus plantam vitis non admitteret; consiciendum ex hordeo potum, docuisse eum ajunt, fragrantia, & efficacitate haud multum inferiorem.* Hinc etiam Athenæo *Lib. X. cap. XIII.* appellatur, *vinum bordeaceum.* quod & vetustatem ferre, docent verba Plinii superius relata. Vidi ipse in patria terra (ita testatur Cluverus) biram Dantiscanam annorum LX. mirandæ nigredinis, spissitudinisque, quæ tamen post tantam vetustatem non in sitis, sed morborum remediis habetur. Præter biræ potum, lacte quoque sitim sedasse majores nostros, haud dubium est; quando etiamnum pluribus Germaniæ in partibus agrestes biræ defectum lactis po-

tu supplere videmus. Prisci quin etiam moris testem habemus apud Athenæum *Lib. IV. cap. XIII.* Possidonium : qui ipse olim Galliam (nescio, an etiam Germaniam Cisrhenanam?) ingressus fuit. *Germani, ut auctor est Possidonius Lib. XXX. in prandium ferunt carnes membratim assas, ac lac superbibunt, vinumque merum.* Cæterum Germanis vinum etiam fuisse notum, patet tum ex supra dictis, cum etiam ex aliis Taciti verbis. *c. 22. ibi : crebra, ut inter vinolentos (fieri solet) rixæ.*

XI. Reflexio Histor.

29 An Germanis in tanta frugalitate, ciborumque simplicitate nulla convivia? Sanè longè alia commemorat Noster: *Convitiis (inquit c. 21.) & hospitii non alia Gens effusius indulget.* Itane? Non est aliter: Audi ulterius. *Quemcunque mortalium arcere tecto, nefas habetur, pro fortuna quisque apparatus epulis exceipit. Cum defecere, qui modò hospes fuerat, monstrator hospitii, & comes, proximam domum non invitati adeunt. nec interest, pari humanitate accipiuntur.* Mira profectò, & verè germana hospitalitas! At fortè solùm inter amicos? Minimè! *Notum, ignotumque, quantum ad jus hospitii, nemo discernit. Abeunti, si quid poposceris, concedere moris: & poscendi invicem eadem facilitas.* Idipsum scribit Cæsar *de B. G. Lib. 6.* „Hospites violare fas non putant: qui quacumque de causa ad eos venerunt, ab injuria prohibent, sanctòsque habent, iis omnium domus patent, victusque communicatur. „ *Diodorus Lib. V.* Ad convivia peregrinos quoque vocant, cœnæque finitâ tum demum qui sint, quidve petatum venerint, sciscitantur. Erit haud dubiè vicissim par liberalitas? Gaudent muneribus. Sed nec data imputant, nec acceptis obligantur. *Victus tamen inter hospites comis: Lautique cibum capiunt. Quis modus, capiendi cibos? Separatæ, inquit, Laud. Author d. l. c. 22. singulis sedes, & sua cuique mensa: sedes tamen, si Diodoro credimus, nullatenus sublimes: quippe Lib. 5. de Gallis, & Germanis ita narrat: Cibum capiunt sedentes omnes, non in sedibus, sed bumi; pro stragulis, luporum, aut canum exuvias subjicientes.*

Qui-

Quinam sessionis modus aut ordo? Hunc describit Possidonius apud Cluver. *Lib. 1. c. 17.* his ex Græco translatis verbis: *Convivæ plures ad cœnam si convenient, in orbem confidunt: in medio verò præstantissimi sedes est, ceu totius cœtus principis; ejus nimirum, qui ceteros vel bellicâ virtute, ac dexteritate, vel nobilitate generis anteit, vel opibus: huic proximè assidet dominus convivii: & utrinque deinceps pro splendore dignitatis, quâ excellunt: bis à tergo adstant, qui scuta pro armis gestant, hastati verò ex adverso in orbem, quemadmodum domini, sedentes cibum unâ cum ipsis capiunt.* Hæc ita explicat Cluverus *cit. Lib. 1. c. 17.* „Hunc confidendi modum, ordinemque ut rectè teneas; locum convivii finge ante focum, ignemque. Dein fac confessum virorum semicircularem: appone postea mensas tripodes, cuique suam, cum cibo suprâ descripto. qui confessus ipsorum dominorum erit; sive convivarum. Ex adverso pone alium confessum, itidem semicircularem, cum mensis, ac cibo: qui erit hastatorum, id est clientum, sive militum dominos comitantium. Hic tamen semicirculus in tantum à priori diductus sit, ut & discrimen inter dominorum, clientumque confessus, & spatium ad inferendas mensas cum cibus maneat. A tergo deinde dominorum collocentur scutati stantes: qui potum dominis, aliâque ministrent. Nam hos simul cum dominis (quod vult vulgata interpretatio) cibum cepisse, quemadmodum hastati, falsum est. Privatis in cœnis, prandisque puellæ, puerique ministrabant parentibus impuberes; majoribus in convictibus ministri etiam isti, seu famuli scutati. Sic enim noster, in verbis: *Nihil neque publicæ, neque private rei, nisi armati, agunt. Et postea: Ad convivium procedunt armati.* „Quænam ad comedendum instrumenta? Volunt, ut de Gallis testatur Phylarchus apud Athenæum *Lib. VI.* planè naturalia. *Mensis, ait, carnes equidem puræ, atque mundæ inferuntur: leonum verò ritu ambabus manibus membra integra attollentes, morsu dilaniant.* Nec mirum, integra cuique apposita fuisse membra; quum præter hæc, atque panem (aut poma de quibus suprâ) nihil habuerint. Etenim *Epulæ*, inquit Tacitus, & quamquam incompti, largi tamen appa-

apparatus, pro stipendio cedunt. Cukello, nisi integris corporibus allatis, rariùs usos fuisse, referunt.

XII. Reflexio Histor. Critica.

31 **FUNERUM**, narrat Tacitus, *nulla apud Germanos AMBITIO. Id solum observatur, ut corpora clarorum virorum CERTIS LIGNIS CREMENTUR.* Quidam hunc locum interpretati sunt, quasi omnium reliquorum corpora humo condita fuerint, quæ opinio non videtur posse cum iis subsistere, quæ de Germanis, & Gallis traduntur à Diodor. *Lib. V. Solent, inquit, inter ipsas quoque epulas, causâ ex jurgio leviter arreptâ, excutgere: & ex provocatione inter sese digladiari; vitæ jacturam nibili æstimantes. Nam Pythagoræ apud illos opinio evaluit, quod animæ hominum immortales, in aliud ingressæ corpus, definito tempore denuò vitam capeffant. Ideò in funeratione mortuorum epistolas, propinquis defunctis inscriptas, IN ROGUM conjiciunt, quæ ab iis legantur.* Hæc nempe Diodorus de omnium pariter funeratione, sine ullo discrimine, sine exceptione, sine humationis mentione, scribit. Erat quippe, si quasdam nationes excipias, mos iste ubique receptus, ut passim testantur Historiographi. Ratio, & quando inceperit incertum. De Romanis hæc legimus apud Plinium *Lib. 8. cap. 54. Ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti; terrâ condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui, cognovère, tunc institutum. Et tamen multæ familiæ priscos servavère ritus. Sicut in Cornelia nemo ante Syllam dictatorem traditur crematus. Idque voluisse, veritum talionem, eruto C. Marii cadavere.* Id igitur voluisse Tacitum, creditur, omnium scilicet mortuorum apud Germanos corpora fuisse cremata: sed sine ambitione, ac pompâ, vulgaribus lignis: clarorum tantùm virorum corpora certis combusta lignis, id est, quæsitis, atque dilectis. Longè ab hac Germanorum modestiâ diversum tradit morem in Gallis Cæsar, *Lib. 6. Funera, inquit, sunt, pro cultu Gallorum, magnifica, & sumptuosa. Sua cuique arma: addit Tacitus, quorundam igni & equus adjicitur.* De Gallis ulteriùs refert Cæsar *eod. Lib. 6. Omnia, quæ vivis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt; etiam animalia. Ac paulò supra*
banc

banc memoriam, servi, & clientes, quos ab iis dilectos esse constabat, justis funeribus confectis, unà cremabantur. Quod nec Romanis quoad ornamenta fuisse ignotum, constat ex l. ult. ff. de aur. arg. leg.

Quin imò & uxores crematas fuisse apud omnes pariter³² Celtasprehendimus, ut testatur Cluv. *Lib. 1. c. 53. pag. 396.* Itidem de vetustissimo gentium more, qui hodiè apud Indos, & Americanos observatur. Strabo *Lib. 15. de Indis. Ait Aristobulus, se audivisse, apud quosdam, uxores quoque sponte cum viris comburi; quæ id recusent, inglorias esse. Verùm hæc de aliis etiam populis narrantur.* Thraces maximè in his intelligere voluit: scribit enim de his Herodot. *Lib. 5.* „Singuli plures habent uxores. Itaque si quis eorum decessit, disceptatio magna fit inter uxores, acri amicorum circa hanc rem studio, quænam præcipuè à marito fuerit dilecta? Quæ talis judicata est, & hunc honorem adepta, ea à viris, atque mulieribus exornata, ad tumulum à propinquissimo mactatur, unaque cum viro sepelitur; cæteris uxoribus id sibi pro ingenti calamitate ducentibus. Nam id eis summo dedecori datur. Id ipsum confirmat Mela *Lib. 2. c. 2.* „Ne foeminis quidem segnis est animus. Super mortuorum virorum corpora interfici, simulque sepeliri, votum eximium habent. Et, quia plures simul singulis nuptæ sunt; cujus id sit decus, apud judicatos magno certamine affectant. Moribus datur; èstque maximè lætum, cum in hoc contenditur, vincere. Moerent aliæ vocibus, & cum acerbissimis planctibus efferunt. At quibus consolari eas animus est, arma, opesque ad rogos deferunt. Idem de Germanis (Herulis) testatur Procopius *Gothicor. Lib. 2.* Hujus verba ex græco translata placet integra apponere. „Nec senescentibus, nec morbo affectis vitâ amplius frui fas erat. Sed, ubi quispiam eorum sive consenuisset, sive morbo corripertur, protinus cogebatur à propinquis efflagitare, uti se quàm primùm ex humanis tollerent. Tum illi lignorum strue in altitudinem congestâ, desuperque homine in summo fastigio imposito, Herulorum quempiam immittebant, qui cultro

R

„cum

„cum conficeret ; sed sanguine prorsus alienum. Haud enim
 „fas erat propinquum esse interfectorem. Ut primùm verò in-
 „terfector descendit ad propinquos defuncti, continuò hi om-
 „nia ligna, ab infimis facto initio, incendebant. Ubi autem
 „flamma ipsa resedit ; collecta ossa sub terram condebant. He-
 „rulo autem viro defuncto, necesse erat uxorem, quæ virtu-
 „tis exultationem consequi, gloriámque apud posteros relin-
 „quere vellet, laqueo apud viri sepulchrum, non longè post,
 „vitam finire. Quæ hoc facere recusaret, hanc ignominiam no-
 „ta manebat, & à mariti propinquis infestatio.

SECTIO SEPTIMA.

De Germanorum Indole in specie.

Visis iis, quæ ad statum Vet. Germanorum tum militarem, cum civilem spectant, restant adhuc aliqua circa eorum indolem, de quibus quidquam dicendi se hætenus non obtulit occasio, annexenda. Hæc autem vel respiciunt habitum, dotésque corporis ; aut animi, seu mores. Quoad primum sit

§. I

De habitu corporis Vet. Germanorum.

Liceat hic esse omninò breves. Audiendus præprimis Tacitus noster de *M. G. cap. 4. Unde, inquit, habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces, & cerulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora, & tantum ad impetum valida. Laboris, atque operum non eadem patientia: minimèque sitim, æstumque tolerare, frigora, atque in eam cælo, solove assueverunt. Item Annal. 2. c. 14. Jam corpus, ut visu tororum, & ad brevem impetum validum; sic nullâ vulnerum patientia. Similiter Histor. II. 74. Namque omnes exercitus flammaverat arrogantia venientium à Vitellio militum: quòd truces corpore, horridi sermone, ceteros ut impares iridebant. Item in vitâ Aricolæ; de Britannis loquens: *Habitus**

cor-

corporum varii, atque ex eo argumenta. Namque rutilæ Calcedoniam habitantium comæ, & magni artus Germanicam originem asseverant. Mela Lib. 3. c. 3. Immanes sunt animis, atque corporibus. Quintilianus declamat. 3. de Cimbris: Nec minus animorum immanitate, quàm corporum, belluis suis proximi. Josephus Bell. Jud. Lib. 2. c. 16. Quis vestrum non fando accepit Germanorum multitudinem? nam proceritatem, & magnitudinem corporum sæpiùs vidistis. Herodianus Lib. VI. Sagittariis corpora Germanorum immensa petentibus. Polyænus Lib. 8. de Cimbris, Teutonibusque loquens: qui homines erant agrestes, immanique magnitudine, facie inusitatâ, & ferinâ voce præditi. His denique consonant ea, quæ habet Strabo sub initium Lib. VII. Ibi: Protinus trans Rbenum post Gallicos populos, Orientem versus sita loca Germani incolunt, à Gallis parùm differentes, si feritatis, corporum magnitudinis, & coloris flavi excellentiam spectes. Ceterum facie, moribus, & victu sunt, quales Gallos esse diximus. Quocirca rectè mihi videntur Romani, hoc nominis eis indidisse, quum eos fratres esse Gallorum vellent ostendere; genuini enim fratres Romanorum linguâ dicuntur Germani. Quantum magnitudine corporis Germani Gallos eminuerint, etiam Cæsar B. G. Lib. 1. his verbis testatur. Dum paucos dies ad Vesontionem, rei frumentariæ, commeatusque causâ, moratur Cæsar; ex percunctatione nostrorum, vocibusque Gallorum, ac mercatorum (qui ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili virtute, atque experientiâ, in armis esse prædicabant, & sæpenumerò sese cum bis congressos, ne vultum quidem, atque aciem oculorum dicebant, ferre potuisse) tantus subito timor omnem exercitum occupavit, ut non mediocriter omnium mentes, animosque perturbaret. Sanè omnes reliquos mortales corporum proceritate, atque magnitudine præstitisse Germanos, exinde patet, quòd Florus Gallis corpora plusquàm humana tribuat. Dum igitur Galli apud Cæsarem sese à Germanis corporum magnitudine superari professi sunt, re ipsa sequitur, hos omnes alios præcelluisse. Mores, quod attinet, sunt vitia, atque virtutes. Illa exhibebit

§. II.

De vitiis Ves. Germanorum.

2 **P**Ræcipuum (utinam veterum tantum!) Germanorum vitium, quod nemo excusabit, esto EBRIETAS. Prodeat Tacitus noster: *Convictibus, & hospitibus*, inquit *cap. 21. non alia Gens effusius indulget. Diem, noctemque continuare potando, pergit cap. seq. nemini probrum. Nec laudabilius cap. 23. Sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem: ADVERSUS SITIM non eadem temperantia. Si indulseris ebrietati, suggerendo, quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis, quam armis vincuntur. Alterum vitium, quod objici fortassis posset, erit PIGRITIA, seu INERTIA, quæ Germanis inhæsisse, vult Noster cap. 15. cujus formalia jam alibi (Sect. 4. §. 2. Res. 5.) retulimus, & aliqua repetimus: *Multum venatibus; PLUS PER OTIUM transigunt, dediti somno, ciboque. Fortissimus quisque, ac bellicosissimus NIHIL AGENS. Paulò post: Delegatâ domûs, & penatium curâ scæminis, & infirmissimo: IPSI HEBENT.* Profectò hoc exinde credibilis est, quòd Nostri unicè armis fuerint dediti: hæc sunt eorum, qui laborum curas fugiunt, ultimum refugium. Experientia id satis docet. Videmus quotidie, & audimus ad nauseam: Quid ad me literarum cultus? Ad quid hæc (sit verbo venia) pedantaria? Præstat fieri miles: Horum non rarò deus otium est, sed utinam non sæpè, ut fert parcemia, pulvinar diaboli! Non desunt, QUI JACTANTIAM, INGENIIQUE vanitatem Germanis adscribunt; exemplum apud Tacitum *Ann. 2. cap. 46. in verbis: Neque Maroboduus JACTANTIA SUI. aut probris in hostem abstinebat.* Aliud apud eundem *Hist. V. c. 23. Civilem cupidò incessit navalem aciem OSTENDANDI: Post pauca: Causa instruendæ classis SUPER INSITAM GENTI VANITATEM*, ut eò terrore commeatus Gallia adventantes interciperent: Hanc ipsam imputat Diodorus *Lib. 5. Multa hyperbolicè ad suæ laudis amplificatiōnem, aliorumque contemptum jactant. Minaces præterea sunt, & ELATI, tragicique exaggeratores.**

I. Re.

I. Reflexio Critica.

An hîc, rogas, silebimus latrocinia, quibus Vet. Germani 3
 erant assueti? Sanè non ex fide! Cæsarem (cujus verba jam-
 alibi retulimus) audire rursus ne graveris. *Latrocinia*, inquit,
Lib. 6. de B. G. c. 23. nullam habent infamiam, quæ extra fines cujusque
civitatis sunt: atque ea juventutis exercendæ, ac desidiæ minuendæ cau-
sâ fieri, prædicant: atque, ubi quis ex Principibus in consilio se dixit,
ducem fore, qui sequi velit, profiteantur, consurgunt ii, qui & cau-
sam, & hominem probat, suumque auxilium pollicentur, atque ab mul-
titudine collaudantur: qui ex iis secuti non sunt, in desertorum, ac pro-
ditorum numero ducuntur, omniumque iis postea fides abrogatur. Sit
 hoc: Quid tum? Si hoc vitium dicimus, quod præsumpsêre-
 Germani nostri, certè fuit ab initio universo terrarum orbi com-
 mune: An ignoramus, omnia illa Ægyptiorum, Scytharum,
 Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorum, Romanorum-
 que in externas gentes imperia per mera occupata fuisse (si fas
 est dicere) latrocinia? An ab hoc vitio ipse Alexander M. ip-
 súsque populus Romanus immunis pronuntiari poterit? Hæc
 ex communi omnium opinione, otii evitandi, juventutis exer-
 cendæ, fortitudinis ostendendæ, virtutis, ac famæ propalandæ
 causâ fieri credebantur. Dii boni! Quot non hodie prætexan-
 tur causæ invadendi alienas provincias, suasque dilatandi? Ra-
 tio Statûs (maledictum illud Politicorum gnoma) Europæ (ût
 vocant) Æquilibrium quæque, etsi iniquissima, per fas, & ne-
 fas cohonestant. Sed punctum fatîs!

II. Reflexio Crit. Historica.

EBRIETAS Vet. Germanorum perstringitur. Et hæc pa- 4
 riter erat aliarum Gentium commune vitium. Legantur, quæ
 de Gallis refert Diodorus Lib. V. *Quum verò præter modum vino*
capiantur: importatum à mercatoribus meracum ingurgitant: & cupi-
ditate ad largiorem potationem, & ebrietatem provecti, aut somni gra-
vedine, aut insanie vertigine corripiuntur. Propterea multi ex Italia ne-
gotiatores, pro familiari sibi avaritiâ, temulentiam Gallorum in que-

stum suum vertunt; hi enim per annes navigabiles navigiis, per campes-
 tria verò loca plaustris vinum ad eos debebunt, incredibile inde pretium
 reportantes: pro cado quippe vini recipiunt puerum, potu ministrum per-
 mutant. Tacitus equidem suo ævo potandi morem tanquam
 singularem in Germanis notavit; verùm habuit ille domi, quod
 Romanis suis multò ignominiosius exprobraret. Plinius nam-
 que historiæ naturalis Scriptor ejusdem Taciti coætaneus, tam
 horrenda, tam abominanda, ac nefanda de Romanorum ebrie-
 tate, *Lib. 14. c. 22.* refert; ut nemo mortalium facile credat.,
 apud quoscunque aliarum nationum populos (nedum apud
 Germanos, simplicem aliàs, ac nullis propemodùm aliis vitiis
 imbutam gentem) eadem in usu (seu potiùs abusu) fuisse. Quin
 Plinius, *d. loc.* quamvis multarum gentium ebrietatem recen-
 seat, etiam Hispanorum, & Gallorum; Germanorum tamen,
 quorum mores, vivendique rationem probè noverat; ut qui
 ipse coràm in Germania satis inspexerat, ne uno quidem verbo
 meminit: Hujus fanè rei ratio dari nulla potest, nisi quòd no-
 stri ferè sobrii præ aliis viderentur. Nec mireris, Tacitum de
 Germanis in specie hoc scripsisse, utpote cùm in illorum mori-
 bus unicè describendis in hoc libello fuerit intentus. *Inebrian-*
tur autem, scribit Plato *de legib. Lib. 1. Scythæ, Persæ, Pæni, Cel-*
tae, Hispani, Thracæ, quæ bellicose sunt Gentes. Indos potandi cer-
 tamina habuisse, auctor est Ælianus, *variar. Histor. Lib. 2. c. 41.*
 Quòd si cui integrum unà cum *c. 15. Lib. 3.* legere perlibuerit,
 eximios, ac celebratissimos aliarum gentium potatores occur-
 rere, deprehendet. A Græcorū more rei perditissimæ quæ sita
 sunt Latinis verba *græcari, & pergræcari.* Profectò horrendum
 ebrietatis morem cognoscere si quis velit, adeat præter Ælianū
 Laud. *Plin. loc. mox cit.* Inveniet ibi tam nefandos bibendi modos,
 tam abominanda vinolentiæ irritamenta, ut meritò obstupe-
 scet, Gentes illas aliàs adeò sapientes, in hæc vitia potuisse di-
 labi: utique quum hodie etiam Germanis nostris, multis
 jam, foedisque aliorum populorum vitiis infectis, eadem igno-
 rentur. Negare tamen non ausim, varios nunc quoque, & dictu
 pudendos observari in Germania bibendi modos, atque Leges.
 Quia

Quin etiam præmia passim ebrietatis, non modò apud privatos homines, sed etiam apud nationum quoque (pro pudor!) Principes constituuntur: ut quantò quique plus bibat, tantò plus gloriæ, atque laudis, præmiique ferat. Ac sunt quædam in prædicto Plinii capite, quæ nescio, an à Romanis Germani acceperint, an verò communes fuerint aliarum quoque gentium consuetudines: nimirum, *biduæ, duabúsque noctibus perpotationes continuasse: non labasse sermone; nec levatum vomitione; non alterâ corporis parte: dum biberet, matutinas obiisse vigilias; plurimum hausisse uno poculo; plurimum præterea aliis minoribus addidisse: Optimâ fide non respirasse in hauriendo: neque exspuisse; nihilque, ad elidendum in pavementis sonum, ex vino reliquisse: & id genus alia.* Sed regeris, Germanos per ebrietatem quæsiisse gloriam, *nec erat, teste Tacito, probrum.* Quod de Romanis dici haud potest!

Rectè quidem mones. At uti neque olim, neque nunc gloria in ebrietate Germanis quæritur, nec tamen ulli probrum est; sic quoque & aliis Gentibus (quarum nomina silere lubet) ubi lupanaria, & ganeas, omnibus inspectantibus, frequentare licet, nulli probro habetur, quod tamen Germanis execrandum censetur flagitium. Hinc sicut non immeritò quidam contra nostros cecinit:

Germani possunt duros perferre labores:

O utinam possent sic quoque ferre sitim!

Ita aptissimè, nec minùs acutè non nemo ex nostris reposuit:

Ut nos dira sitis, sic vos Venus improba vexat:

Lex posita est veneri Julia, nulla mero.

Ita sanè est; ubi vitia in morem, atque consuetudinem, non hominis, sed gentis, non exigui temporis, sed sæculi abivère; illic nemini ducuntur probro. Interim, ut ad ebrietatem, à qua incepimus, paulisper redeamus, verum manet illud Poëtæ:

Ut bibat baud sitiens, vel edat jam ventre repleto,

Verberibus cogi bestia nulla potest:

Ergo homo deterior longè est, fateamur, oportet,

Qui bibit baud sitiens, qui vorat ante satur.

III. Reflexio Critica.

5 **PIGRITIA**, seu **INERTIA**, quam Germanis adscribunt, refellitur ab ipso Tacito, qui *cap. 14.* sic ait: *Si civitas, in qua orti sunt, longa pace, & otio torpeat; plerique nobilium adolescentium petunt ultrò eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt, QUIA ET INGRATA GENTI QUIES, & facilius inter ancipitia clarescunt.* Unde ipse Auctor hanc animorum diversitatem capere non potest, dum *cap. 15.* ut jam monuimus, scribit: *Mira diversitate naturæ, cum iidem homines sic ament inertiam, & ODERINT QUIETEM.* Quid enim ageret Gens bellicosa: si bella vacant?

6 Quod additur de superbia, seu ambitione, aut vanitate, fati ineptum videtur, cum non sit reprobanda aliqualis honesta ambitio, quæ ex multipliciter parta gloria, animique magnitudine originem ducit: Ab ejusmodi vitio (si vitium est) nulla natio erit immunis. Accedit, quòd unum, vel alterum exemplum non possit integram nationem afficere, juxta vulgatum illud: *Una hirundo non facit ver.* Porro uti Vet. Germanorum vitia ex dictis hactenus haud difficulter, & eò magis possunt excusari, quòd majora illorum virtutes merentur encomia, ita probrosum meritò reputaveris, eas silentio præterire. Prodeant igitur, & sit

§. III.

De Virtutibus priscum Germanorum.

7 **P**ROfectò summa virtus esse debet. alià, quàm naturali lege non indigere: hæc planè inter maximas est perfectissima! *Ex natura quippe vivere, inquit Cicero de legib. Lib. 1. summum bonum est: vitâ modicâ, & aptâ virtuti perfrui, aut naturam sequi, & ejus quasi lege vivere; id est, nihil, quantum in ipso sit, prætermittere, quò minus ea, quæ natura postulet, consequatur: quòd inter hæc velit è virtute tamquam lege vivere.* Hanc opinionem multis sæculis servasse Germanos nostros, de quibus hactenus sermo, author est Tacitus *de M. G. cap. 19. in fin. PLUS IBI BONI MORES VALENT, QUAM ALIBI BONÆ LEGES,* ut verissimum sit illud Platonis: *Apud quos plurimæ sunt leges,*

leges, apud eos etiam lites sunt, maliq̄ue mores: quemadmodum morbi solent esse multi, ubi multi sunt medici.

Inde etiam fluit, quòd ad evitandas contentiones nullos 8
agri fines stabiliter constituerint. Testis est Cæsar *de B. G. Lib. 6.*
Ibi: „Neque quisquam agri modum certum, aut fines proprios
„habet, sed magistratus, ac principes in annos singulos gen-
„tibus, cognationibusque hominum, qui unà coiêrunt, quan-
„tum eis, & quo loco visum est, attribuunt agri, atque anno
„post aliò transire cogunt. Ejus rei multas afferunt causas, ne
„assiduâ consuetudine capti, studium belli gerendi agriculturâ
„commutent, ne latos fines parare studeant, potentioresque
„humiliores possessionibus expellant, ne qua oriatur pecuniæ
„cupiditas, qua ex re factiones, dissensionésque nascuntur, ut
„animi æquitate plebem contineant, cùm suas quisque opes
„cum potentissimis æquari videat.„ His consonant verba
*Taciti cap. 26. Agri pro numero cultorum ab universis per vices occu-
pantur, quos mos inter se secundum dignationem partiuntur. Facilita-
tem partiendi, camporum spatia præstant. Arva per annos mutant, &
superest ager; nec enim cum ubertate, & amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conserant, & prata separent, & hortos rigent. Sola terræ seges imperatur.*

De religione (utinam vera!) in Deos, parentumque pieta- 9
te, ac cura in liberos, morum castitate, & in hospites liberali-
tate alibi jam dictum. Interim tamen circa liberalitatem in-
hospites legi merentur etiam ea, quæ de Sueonibus (qui vul-
gò Suedi vocantur) memorat Adamus Bremensis. *Hospitalita-
te, inquit, sunt insignes Sueones. quibus est omni probro gravius hospiti-
tium negare transeuntibus; ita, ut certamen habeant inter se, quis di-
gnus sit hospitem recipere, cui omnia exhibens humanitatis jura, quot
illic commorari voluerit diebus, ad amicos suos illum certatim per singu-
las dirigit mansiones.* Hæc ipsa virtus fuit etiam à posteriorum
Germanorum gente præ oculis habita, ut postea ex Gotho-
rum, aliorumque legibus patefiet. Non leve hujus rei argu-
mentum esse potest, quòd victores non ultra prælium sævirent,
sed victos non modò servarent, verum etiam plerumque in ci-

vitatis suæ societatem reciperent. Sic Arborichos (fortean Armoricos) à Francis civitate donatos, refert PROCOP. de Bell. Goth. Lib. I. idémque beneficium hi postea præstitère Saxonibus, quos Francis coadunatos, unum cum illis populum factum esse, scribunt EGINARD. vit. Caroli M. cap. VII. & POETA SAXO ad ann. DCCCIII. nec non Frisiis, Burgundionibus, Thuringis, Bavaris, quos servitute oppressos esse à victoribus, nemo veterum tradidit. Nec mos erat gentibus Germanicis, agro multare victos, sed partem tantum sibi poscere, reliqua dominis relinquere sub lege annui vectigalis. Sic tributarios Thuringios fecit Chlodovæus. GEST. REG. FRANC. cap. X. Et Burgundos agrum, quem in Gallia occupaverant, cum Gallis Senatoribus divisisse, refert MARIUS AVENTICENSIS in Chron. apud du Chesne Tom. I. Et exstat sanè de hac divisione testimonium in LEGE BURG. tit. LVII. Simile fuisse institutum Visigothorum, & Ostrogothorum, observat HERT. notit. veter. Germ. popul. Part. III. c. VII. §. V. De Longobardis IDEM ibid. cap. LX. §. III. Inde etiam fluit, quòd unicuique Genti devictæ suæ leges, suique mores patrii relinquebantur, adeò, ut apud Gothos, Francos, Burgundiones, & Langobardos, unus lege Romana, alter Salica, alii Langobardica, Gothica, Burgundica, Alamannica, vel Boica viverent. ut rursus inferius videbimus. Illa quoque mira Germanicarum Nationum humanitas specialem meretur laudem, quòd nemini tenerè ad se fugienti jura civitatis, honorum, militiæ, negarent, hominesque non tam natali solo, quàm ingenio, ac virtute, æstimerent. SALV. MASSIL. Lib. VI. de gubern. Dei pag. 90. *Inter hæc vastantur pauperes, viduæ gemunt, orphanis proculcantur, in tantum, ut multi eorum, & non obscuris natalibus editi, & liberaliter instituti, ad hostes fugiant, ne persecutionis publicæ afflictione moriantur: querentes scilicet apud barbaros Romanam humanitatem, quia apud Romanos barbaram inhumanitatem ferre non possunt. Et quamvis ab his, ad quos confugiunt, discrepent ritu, discrepent lingua, ipso etiam, ut ita dicam, corporum, atque induviarum barbaricarum foetore dissentiant: malunt tamen in barbaris pati cultum dissimilem, quàm in Romanis in-*
justi-

justitiam ferventem. Itaque passim vel ad GOTHOS, vel ad BA-
 CAUDAS, vel ad alios ubique dominantes barbaros, migrant, & mi-
 grasse non pœnitet. Add. CAPITUL. CAR. CALVI Tit. XIV.
 §. IX. p. 66. Tom. II. Veterum Germanorum data FIDES
 incorruptibilis. Hoc exinde probatur, quòd, ùt tradit Cluver.
 Germ. Antiq. Lib. I. c. 19. omnes Rom. Imp. ab Augusto Cæ-
 sare corporum suorum custodiam Germanis præ aliis populis
 commiserint. Sueton. de Galba c. 12. Germanorum cohortem à Cæ-
 saribus olim ad custodiam corporis institutam, multisque experimentis
 fidelissimam dissolvit. Adduci etiam merentur ea, quæ habet Dio
 Lib. 78. in vit. Anton. Carac. Scythas, & Germanos, non ingenuos
 modò, sed & servos à liberis, & uxoris abstractos, armaverat, ET
 CIRCUM SE HABEBAT; quòd MAGIS HIS, quàm militibus,
 fideret. Unum adhuc addimus, quòd Frisiorum Legati in Thea-
 tro Rom. exclamaverint: Nullos mortalium, aut armis, AUT FLI-
 DE ante Germanos esse. Teste rursus Tacito Annal. Lib. 13. c. 54.
 §. 5. Et demum quis satis dicat de Vet. Germanorum SINCER-
 RITATE? Hanc genuinè dilaudat Tacitus noster cap. 22. Ibi:
 Gens non astuta, nec CALLIDA: aperit adhuc secreta pectoris li-
 centia loci. Ergo detecta, & nuda omnium mens postera die retracta-
 tur: & salva utriusque temporis ratio est. Deliberant, dum FIN-
 GERE nesciunt: constituunt, dum errare non possunt. Quid in ho-
 mine laudabilius: Quid animi candore, ac sinceritate Superis
 gratius?

Reflexio Critica.

Insurgant hic malevoli non sine calumnia obtrectantes, 10
 hæc Germanos nostros nequaquam virtutis, quam non nove-
 rant, amore, sed ex innata quadam simplicitate (mirum quòd
 non dicant omninò stupiditate!) egisse: Quis prætereà igno-
 rat, rupisse fidem datam, fregisse foedera? Exstant gravissima
 exempla, quæ notat Strabo Lib. VII. his ex Græco, ùt aliàs,
 translatis verbis: Belli initium fecere Sigambri, Rbeni accolæ, duce
 Melone: huic alii subinde, atque alii successerunt, principatu potiti, at-
 que debellati; rursusque deficientes, fide, & obsidibus proditis. Adver-

sus hos plurimam utilitatis est in incredulitate; nam quibus fides habita, ii maxima damna intulerunt; ut Cberusci, & horum subjecti; apud quos tres Romanorum legiones, cum duce Quintilio Varo, contra datam fidem, insidiis circumventæ perierunt. Fregere, non abnuimus, fidem, sed vi, seu metu ab inuasoribus extortam, quam nulliter datam reputabant; non item Amicis sponte promissam. Cùm autem Germanorum fidem ex invidia simplicitatem, aut omninò rusticitatem appellare præsumant, licebit pari, aut meliori jure, eorum, ut vocant, humanitatem, & comitatem, detractâ larvâ, adulationem dicere. Sanè longè melius sentit de Nostris Julianus Cæsar in *Misopogone*. At ego, inquit, ut primùm virilem ætatem attigi, statim ad Gallos, Germanosque, & Hercyniam Silvam sum dimissus, & vix cum illis gentibus multo tempore, tamquàm venator cum feris bellando: quod in eos mores incideram, qui adulari nesciunt; sed simpliciter, ac liberè cum omnibus, æquabilique jure vivere. Verùm de his omnibus pro præsentis instituto jam satis.



PARS



PARS SECUNDA.

DE STATU TUM VETERUM, TUM SUCCESSIVE ALIORUM GERMANO- RUM LEGALI.

Cum Status Germanorum Legalis nobis debeat esse præcipuus, placuit hanc materiam ad partem distinctam, atque separatam reservare. Cogimur autem, idcirco esse breviores, dum præsentis curæ jam ad finem, & eò solùm inclinant, ut, demonstratâ incertitudine Legum Germanicarum, seu juris Germanici universi, palàm fiat, quanta adhuc sit utilitas, imò necessitas Juris Rom. Justiniani, cum non pauci temerè in ejus totale, & integrum excidium (ut tamen speramus frustrancè) insudent. Sit igitur methodò receptâ

SECTIO PRIMA.

De Statu Legali Veter. Germanorum.

§. I.

An? & quanam fuerint Leges Veterum Germanorum?

Indagare velle Vet. Germanorum leges positivas, seu jus aliquod arbitrarium scriptò redditum, est aquam cribrò haurire, postquam ex mox dictis (*Part. I. Sect. ult. §. ult.*) Germanos nostros à sua origine solò vixisse dictamine naturali, abundè

constat. *Literarum secreta*, inquit Tacitus, *viri pariter, ac fœmina ignorant. Plùsque apud illos (teste eodem Auctore) valère boni mores, quàm alibi bonæ leges.* Sed quamdiu? Per plura sæcula, & donec Germaniæ populi aliis immixti pariter magis, magisque moribus corrumpi cœperint. Unde igitur Juris Germanici origo?

In vanum eam quærere non vaecat: Inutilem namque credimus operam, quæ rebus, quarum notitiam assequi non possumus, immoratur. Hermanno Conring. *de orig. Jur. German. c.1.* sufficit indubitanter asserere, Germaniæ populos ab incunabulis non literarum secreta modò, sed usum omnem ignorasse, adeoque legibus caruisse.

Reflexio Critica?

2 Qui, amabo! potuit tanta populorum multitudo sine legibus, quæ anima sunt Reipublicæ, tam diu subsistere? Unde optimè Chrysippus apud Marcianum *in l. 1. ff. de LL. Lex inventum, ac munus Dei est.* Paulò post: *Lex est omnium Divinarum, & humanarum rerum regina: oportet autem, eam esse præsidem, & bonis, & malis, & principem, & ducem esse: & secundum hoc, regulam esse justorum, & eorum, quæ natura civilia sunt animantium, præceptricem quidem faciendorum, prohibetricem autem non faciendorum.* Huc referri possunt ea, quæ habet D. Braun *de Magistr. cap. 1. §. 2.* *Tolle leges, & tolles Imperium: tolle hoc, & tolles Magistratum: tolle hunc, & tolles Judicia: tolle hæc, & sonabunt perjuria: tonabunt blasphemiæ; exultabit licentia: exulabit pudor: ardebunt odia, arebunt studia: dominabitur furor: minabitur invidia: Tyrannis serviet, libertas serviet: incendet, quacunque incedet, libido: ridebitur, ubi videbitur probitas: impetrabit, quidquid imperabit, ambitio: bellabunt cives, rebellabunt subditi: scindentur populi, excindentur gentes: ruet cum urbibus orbis.*

3 Hinc leges quasdam saltem non scriptas habuisse, vix est diffitendum. Rem ita nos concipimus: Germania (vastissimus quippe districtus) plures in se continebat Respublicas, seu majores hominum societates in propriam utilitatem cœcuntes:

Ab-

Abeſſe haud poterat regimen, ne membra corpori eſſent contraria: opus igitur fuit legibus (ob innatum tamen libertatis amorem pauciſſimis) quibus ordo partium ad totum conſervaretur. Dabatur Deorum cultus: dabantur Iudicia, quæ omnia certis ritibus tractare oportebat. Erat quidem Germania, unius gentis patria, vid. Werlhof. in *ſpecim. II. Not. S. R. I. Enucleatæ* §. 16. ſed (ut videre eſt apud Hertium *Not. Vet. Germ. popul.*) multorum populorum ſedes. Hinc in multis conveniebant mores, ſed etiam in non paucis inter ſe discrepabant, ut, quæ de uno populo Germaniæ dicuntur, non ſtatim ad omnes Germanos applicari queant. Sanè non unâ regebantur formâ Germani. Ea quidem in plerisque popularis, in nonnullis verò regia potestas maximè erat conſpicua: In plurimis Sacerdotum Auctoritas præcipuè eminebat; hinc etiam una natio alterâ laxior, aut adſtrictior gubernabatur. Quapropter pro varietate geniorum, ac morum, populi quaſi MANU, ut initio apud Romanos, vel democraticè, vel aristocraticè, vix tamen, aut certè rariùs, monarchicè regebantur, ut conjecturaliter (certi quippe nil conſtat) diſcurrere licebit.

§. II.

Qua occasione fuerint Leges ſcriptæ in Germaniam introductæ?

Germanos noſtros varia cum exteris Nationibus habuiſſe bella, nemo eſt, qui ignoret. Gens quippe militaris erat, fines ſuos prolatandi cupida, nullis verò foederibus, nullo vinculo arctiori invicem nexa. Hinc, nil niſi æmulationes, & rixæ inter eodem: ex his publicæ ortæ contentiones, bellæque civilia, ſeu domeſtica, iſtis exitioſa; exteris verò, ut fieri amat, præſertim Romanis maximè proficua. Teſtis eſt de hac re ipſe Tacit. *cap. 33. de M. G. & Annal. II. 44.* Et licèt foedera inter ſe haberent quidam Germaniæ populi, factum tamen hoc potiffimùm inter civiles diſcordias, ad ſe invicem debellandos. Multæ exinde ſucceſſère hinc inde gentium inter ſe
mi-

migrationes, quarum primæ memorantur Cimbrorum, Teutonorumque. Horum enim terras cum inundasset Oceanus, novas sedes toto orbe quærebant: Socios in Gallia adepti Tigurinos, Ambronésque. Exclusi Galliâ, & Hispaniâ, quum in Italiam remigrarent, misère legatos in castra Silani, inde ad Senatum Romanum, petentes, ut Martius populus aliquid sibi terræ daret, quasi stipendium: Cæterum, ut vellet, manibus, armisque suis uteretur. At ob Leges Agrarias à Romanis repulsam passi, quod nequiverunt precibus, armis assequi constituunt: hujus rei eventum exhibet Flor. *Lib. 3. cap. 3.* Alii Germaniæ populi migrationes suas trans Rhenum instituere, Gallos expellentes. Sic Tongri Rhenum transgressi in Galliam Belgicam irruperunt, Tribocci, relicto natali solo, Rhenoque trajecto, in Alsatia sedes posuerunt. Consul. desuper Tacitus *de M. G. cap. 2. 28. & 29.* Cæsar *de B. G. Lib. 2. cap. 4.* Rebus ita confectis, successit Julius Cæsar, qui Ariovisto debellato (causam belli vide sis apud eundem *de B. G. Lib. 1. cap. 22. & seqq.*) Rhenum transgredi statuit: suumque propositum implevit, bellum contra Treviros, & Suevos profecutus. His igitur, aliisque cum Druso, ac Tiberio præliis Germani nostri exercitati, ac variis populis immixti, magis, magisque mitigari, & ita assumptis paulatim suorum hostium, quos devicerant, vel etiam victi moribus, in unum quasi corpus coalescentes Leges sibi conscribere coeperunt: quod contigisse creditur post Annum Reparatae Salutis quadringentesimum, seu sæculo quinto. Primi, ut tradit Conring. ubi supra *c. 2.* fuere Franci, Burgundiones, Westrogothi, Ostrogothi, Longobardi.

Reflexio Critica.

5 Qui notitiam Imperii nostri (utimur verbis Hertii *Not. Vet. Germ. Popul. part. 1. §. 1.*) vel publicum jus, quod vocant, tradere aggressi sunt, plerique à Romanis rebus ordiri consueverunt. Aliis contra rectius visum, initia à veteribus Germanis repetenda: Hi enim Romanis, certè Germaniam magnam, quod attinet, nunquam subsuerunt, & postea urbis Romæ an-

ne-

nexarúmque huic terrarum domini facti, translatô in se Imperatorii fastigiî titulo, non idèò *αὐτονομίαν* amisère, aut Romanis se sponte subjecerunt, ut evaserint eorum provincia. Neque verò majores nostri tales fuerunt, quorum pudere debeamus: imò mores eorum, in multis meliùs se habuère, quàm illorum populorum, qui de cultura maximè gloriabantur, & ipsos, aliòsque populos Barbarorum vocabulo insigniebant. Satis ex antè deductis paret, quantùm fuerit (cum amicis præsertim) Justitiæ, fideique datæ studium: in victu, potu, vestitúque temperantia, quanta in rebus militaribus fortitudo, nec non in rebus venereis continentia; unde non potest non esse falsum, quod tradit Sextus Empirius, apud Germanos non esse turpe masculá uti venere, sed unum ex iis, quæ usu recepta sunt: Multò autem veriùs dixit Quintilianus declam. 3. *Nihil tale novère Germani, & sanctiùs vivitur ad Oceanum.* Nos, unde desumenda origo Juris Germanici? in medio relinquimus: Interim ex dicendis quid rei sit, apparebit.

SECTIO SECUNDA.

De Legibus Wisigothorum, seu Westrogothorum, Ostrogothorum, Gothorum, Longobardorum, & Burgundionum.

Primum statum Legum Germanicarum cœpisse à Francis, Burgundionibus, Westro- & Ostro-Gothis, ac Longobardis superiùs audivimus. Jam hìc prænotandum, fuisse amplissimos, & potentissimos populos, qui ex sanguine Germanico orti quidem sunt, sed partim posteriori ævo à consortio germanicarum gentium divulsi fuerunt, partim, relictâ patriâ, novas sedes petentes, nunquam repetierunt solum paternum, ac, ut fieri solet, ejus obliti, & nomen, & mores exuerunt. Cùm autem etiam antiquæ illorum leges ad illustrandam Jurisprudentiam Germanicam quadantenus faciant, lubet hæc brevissimè præmittere.

T

§. I.

§. I.

De Legibus Wisigothorum, seu Westrogothorum.

1 **W**ISIGOTHI à Gothis (quos aliqui, teste Hertio *Not. Vet. Germ. popul. part. 3. cap. 7.* mendosè Getas appellant) nomenclaturam deducunt. Antequam enim in Italia, Gallia, Hispania considerent, distincti fuère in Ostro- & Westro-sive Westgothos. Hi, cùm à filiis Theodosii, cui se, Athanarico Rege mortuo, sponte commiserant, defecissent, relicta Pannoniâ, ubi per annos ampliùs triginta confederant, An. CCCCX. ductu Alarici Romam cepère, ac diripuère. Abhinc Honorio IX. & Theodosio V. Coss. sive An. Chr. CCCCXII. Ataulfus, quem Gothi post Alarici affinis ejus, mortem Regem consalutaverant, onustus Italiæ, ac urbis Romæ spoliis in Galliam transgressus, inter Alpes, & Pyrenæum omnibus depopulatis, Narbonem occupavit. Pace postmodùm cum Honorio Pontifice Max. sancitâ, Narbonéque, ubi sedem suam, regiâmq; constituerat, relicto, Hispanias petiit, ac Barcinonem fortunarû suarum sedem delegit. Leges, fatente ipso Ataulpho apud Oro-sium *Lib. 7. cap. 29.* (Ibi: *Neque Gothos ullo modo parere legibus posse propter effrenatam barbariem: neque Reipublicæ interdici leges oportere, sine quibus Respublica non est Respublica*) ea ætate habuerunt nullas. Primas itaque eis dedit Euricus Rex. Siquidem (ita Isidorus Hispalensis in Chronico Erâ Hispanicâ DIV.) *Sub hoc Rege Gotbi legum instituta scriptis habere cœperunt: nam antea tantùm moribus, & consuetudine tenebantur.* Idem Isidorus, Erâ DCVI. de Leuvigildo: *In legibus quoque ea, quæ ab Eurico inconsultè constituta videbantur, correxit; plurimas leges prætermittas adjiciens, plerâsq; superfluas auferens.* Variæ, ut fieri solet, mutationes autoritate Lewigildi Regis successère, velut memorat: Laud. Isidor. *Erâ Hispan. DCIIIX. In legibus quoque illa, quæ ab Eurico inconditè constituta videbantur, correxit; plurimas leges prætermittas adjiciens, plerâsq; superfluas auferens.*

2 Nec peregrinum illis fuit Jus Romanum. Vulgaris siquidem opinio est, Alaricum Wisigothorum Regem, legum Roma-

ma-

manarum, quibus Romani inter se disceptarant, collectionem instituisse potissimum ex Codice Theodosiano, nec non ex Gregoriano, Hermogeniano, Pauli sententiis, Caji Institutis, & Novellarum corpore, eamque Aniani, viri spectabilis, subscriptione muniendam curavisse; ut eâ Romani, hoc est, Provinciales Galli, Hispanique uterentur. Unde etiam *Aniani breviarium* audit. Cujus historiam exposuit Jacob. Gothefredus *prolegom. Codicis Theodosiani. cap. 5. & 6.* Qui Codex interdum *Auctoritas* Alarici Regis, interdum *Liber legum*, sed crebrius *Lex Romana* appellatur. Addatur Conring. *loc. cit. c. 3.* ubi simul notat, observantiam Rom. Legum Chindeswindi decretô fuisse abrogatam. Extat illud *Lib. 2. Leg. Wisig. tit. 1. c. 9.* & ita sonat: „Alienæ gentis legibus ad exercitium utilitatis imbui, & permittimus, & optamus: ad negotiorum verò discussionem & resultamus; & prohibemus. Quamvis enim eloquiis polleant, tamen difficultatibus hærent: adeò cum sufficiat ad justitiæ plenitudinem, & perscrutatio rationum, & competentium ordo verborum, quæ Codicis hujus series agnoscitur continere, nolumus sive Romanis legibus, sive alienis institutionibus amodò amplius convexari. „

§. II.

De Legibus Ostrogothorum.

AUSTROGOTHORUM jam meminit Trebellius Pollio in Claudio. *c. 6.* Gothos eos semper vocat Procopius, & à Vesigothis distinguit. De OSTROGOTHIS scribunt, eos primùm in Pannonia; post permissu Theodosii minoris, unde vicesimum imperii annum agentis, in Thraciæ finibus confedisse, atque annis LVIII. (LXI. dicere debuerunt) ibi fuisse: tandem jussu Zenonis Augusti, ductuque Theodorici Patritii, imperium Occidentis, nimirum Italiam, finitimisque aliquot provincias, occupavisse. Paulò fusiùs eorum progressus describit H. Grotius *proleg. ad bist. Gotb. Wand. pag. 45.* Theudericus, seu Theodericus Ostrogothorum Imperium, ut refert Laud. Author, mirè dilatavit, & felicissimè æquè, ac pruden-

dentissimè regnavit, Italiámque à Zenone Imp. obtinuit. Quanta fuerit hujus Regis æquanimitas, palam faciunt ejus prudentissima Effata. Sic apud Cassiod. *Lib. 2. Var. 23. Æquitati fave: innocentiam animi virtute defende: ut inter nationum consuetudinem, perversam Gothorum possis demonstrare justitiam, qui sic semper in medio laudis fuerunt constituti, ut & Romanorum prudentiam caperent, & virtutem gentium possiderent. Ep. XXIV. Imitamini certè Gothos nostros, qui foris prælia, intus nõrunt exercere modestiam. Conf. Lib. 3. Var. 43. Idem L. 7. Variar. 25. Sic Gothos nostros produximus, ut & armis sint instructi, & equitate compositi. Hoc est, quod reliquæ gentes habere non possunt: Hoc est, quod vos efficit singulares, si assueti bellis, videamini legibus vivere privatis. Et quod verbis præscripsit, id & opere complevit, ut memorat Procop. *Lib. 1. bist. Goth.* Ita sibi parentibus præfuit, ut verè Imperatori conveniens decus nullum ipsi abesset. *Justitiæ magnus ei cultus, legumque diligens custodia. Terras à vicinis Barbaris servavit intactas, solertiæ, fortitudinisque summus. Injuriam subditorum quemquam nec afficiebat ipse, nec affici ab aliis sinebat.* Plura si placet, videri possunt apud Hert. *loc. cit. part. 3. cap. 8.* ubi & aliis Ostrogothorum Regibus non vana laudum encomia adscribit.*

Jam quid de tanto Principe (Theodorico) circa Leges arguendum? Sanè omnia optima. Et quamvis de aliquo propriarum Legum Codice non constet, certum tamen est, Romanas non abrogasse, sed prudentissimo consilio Edicto publico, ut testatur Lindembrog. *cod. LL. antiq.* hiscèque verbis confirmasse: *Salva Jurispublici reverentia, & legibus omnibus cunctorum devotione servandis, quas Barbari, Romanique sequi debeant, super expressis articulis presentibus evidenter cognoscant: Quò spectat illud, quod de Gelasio Papa ad Theodoricum Regem refert Conring. ubi supra cap. 4. Certum est magnificentiam vestram leges Romanorum Principum, quas in negotiis hominum custodiendas esse præcepit, multò magis circa reverentiam B. Petri Apostoli, pro suæ felicitatis augmento, velle servari.*

§. III.

De Legibus Gothorum.

GOTHORUM (qui apud Antiquiores, & GOTHONES, 5
 GUTONES, GYTHONES audiunt) origo aded est
 incerta, ut ejus inquisitio instituti nostri paginam quàm
 latissimè excedat : Tacitus *cap. 43.* eos ita locat : *Trans Lygios
 Gothones regnantur : paulò jam adductius, quàm ceteræ Germanorum
 Gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano
 Rugii & Lemovii.* Pytheas verò Massiliensis Græcus Scriptor
 apud Plinium *Lib. 37. cap. 11.* cùm refert Cluv. *Lib. 3. cap. 34.* sta-
 tim *init.* disertissimis verbis in Litore Oceani, sive Suevici maris
 eos ponit, hisque populis *loc. mox cit.* varios fines assignat, & de-
 nique concludit „ *Est bodièque in citeriori Vistulæ ripa, ad medium
 dictæ Magnæ latus, vicus vulgari vocabulo Gutland, & variante in-
 colarum dialecto, Gootland; quod an veterum cultorum memoriam ser-
 vet, quasi dicas GOTHONUM terram; haud temerè affirmaverim.*
 Notat tamen, malè confundi cum Getis, contenditque post
 multa alia, quibus suam opinionem firmat, nomen Gothorum
 fuisse contractum in vocabulum Gothorum : sicut *Frisiones Fri-
 sios. Francones Francos: Burgundiones. Burgundios* appellare solemus.

Quidquid de hoc sit, nobis hac in re neque seritur, neque 6
 metitur : Certum nihilominus est, habuisse etiam hos populos
 suas leges. Ita quidem, ut Conringio ubi suprà *cap. 5.* verisimi-
 le videatur, Leges Gothorum Septentrionalium cum institu-
 tis Wisigothorum Hispaniæ (ut gentis ejusdem cum Hispanien-
 si illa originis) plurimum convenire. De his ita scribit Bureus
 Suecus apud eundem Conring. *d. loc. Ex suprà dictis autem pro-
 vincialibus legibus, aliisque regni constitutionibus, Episcopi, & Sena-
 tores regni ante annos plus minùs CCLXX. generale jus totius regni
 compilârunt, legi naturæ valdè congruum, nec à jure civili multum di-
 screpans, nisi quòd hujus vigore lites multò citius ad finem perducantur :*
 varias emanâsse hujus juris collectiones testatur Hoffmann *cit. tr.
 de Leg. Gotbor.*

- 7 De earum natura afferre placet, quæ habet mem. Auctor.
 „ Hinc observamus, poenas quoque plurimum fuisse pecunia-
 „ rias, ita verò, ut partem actor, partem Rex, partem terri-
 „ torium sibi vindicarent. In Judiciis neque Procuratores, ne-
 „ que Advocatos fuisse admissos, cum se quilibet sisteret: intro-
 „ ductæ postmodum quoque fuerunt probationes tam vulga-
 „ res, quam canonicæ: Durissima servorum erat conditio, sed
 „ mitigata post Christianam religionem assumptam. Multis
 „ porro solennitatibus actus eorum imprimis contractus obno-
 „ xii fuerunt, cum singulares ritus in transferenda possessione
 „ observarent: hinc & *Scotationis*, vera apud illos origo, quam
 „ aliàs ex Jure Canonico, sed sine sufficienti ratione, derivant.
 „ Multa porro (quod mirandum) de humanitatis officiis statuta
 „ sunt, notatu dignissima, & certè in pudorem nostri seculi,
 „ ubi omnes persuasi sumus, legibus civilibus neququam ad ta-
 „ lia officiorum genera obligari quempiam posse. Ita quoque
 „ singularem investigandi rem furtivam modum habuerunt,
 „ neque hodie prorsus extinctum. Clericorum porro consilia
 „ in manifestis eorum ambitionis (sunt termini huic Auctori
 „ adversus Clerum planè familiares, & ingeni) patent vesti-
 „ giis, licèt cæteri Regni ordines, quantum poterant, affectatæ
 „ eorum immunitati restiterint.

Reflexio Hist. Crit.

- 8 Fit (I.) mentio *Scotationis*. Quid hoc? Erat solemnis qui-
 dam ritus in possessione transferenda observandus. Refertur
 ab Innocentio III. in c. 2. X. de consuet. modum hunc fuisse con-
 suetudine receptum in transferenda possessione rei absentis lo-
 cis religiosis donatæ, qui ita ibi describitur: *Hanc conferendi for-*
mam (in hujusmodi donationibus) *esse proponis, quòd modicum*
terræ consuevit in manu accipere, vel in extremitate pallii, quod manu
Praelati Ecclesiæ sustinetur, aut super altare ponendum sub testimonio
videntium, & audientium, sub dicta forma, quæ scotatio vulgariter
appellatur. Paulò post: *Cum hujusmodi signum, quod scotatio dici-*
tur, non tam factæ donationis, quàm traditæ possessionis sit evidens ar-
gumentum. Fit

Fit (II.) narratio de *humanitatis officiiis*. Quænam ista? Ca- 9
 pe, & obstupescere! Si quis ex incendio, vel naufragio paupè-
 riem pateretur, tenebantur singuli istius terræ incolæ, in quo
 damnum acceptum est, nemine prorsus excepto, sive Cleri-
 cus, sive Nobilis esset, qui modò domicilium, & familiam ha-
 beret, juxta æstimationem damni accepti à bonis viris factam,
 fortunam ejus sublevare. Ita quoque si tempore *messis* servi ali-
 cujus aufugissent, vel adversa valetudine domestici detineren-
 tur, opitulabantur vicini in messe colligenda, ad minimum, ut
 quilibet unius diei operam præstaret, etiam postpositis suis ejus-
 dem operæ laboribus. Porro pauperes, & debiles non licebat
 arcere, ut non ad minimum, & elementum, & unius noctis
 mora, & abeunti jumentum concederetur. Hæc Stirnhœck
 apud Hoffmann *ubi supra*.

Item (III.) de Inquisitione in fures usitata. Quisnam hîc
 modus? Si quid alicui furto abreptum fuerit, hoc indicandum
 erat vicinis: Si verò quis alicujus domum suspectam haberet,
 quasi furto ablata res eò deportata sit, is, comitantibus eum
 sex viris, investigari illam istic legitime desiderabat, indiciò ta-
 men, quæ & qualis sit, antea factò. Addit LOCCENIUS *Anti-*
quitat. Sueo-Goth. cap. 6. Viri autem istic investigaturi, discin-
 cti jubebantur ingredi domum furti celati suspectam, & nudis
 pedibus, & foemoralibus super genua constrictis. Ita in *cap. 13.*
jur. prov. Suec. & LL. Ostrogoth. cap. 32. Mos iste emanasse vide-
 tur ab Atheniensibus, seu, ut vocant ex L. Attica. Quò ve-
 rò ritu Athenis requisitæ fuerint res furtivæ, luculenter docuit
 Græcus Scholiastes Aristophanis. In hujus enim *Nubibus* So-
 crates ita alloquitur Strepsiadem v. 498. *Abi, depone tunicam.* Re-
 spondet hic: *An deliqui quidquam?* Cui regerit Socrates: *Mini-*
mè, sed nudos nos incedere fas est. Tum Strepsiades: *Atqui non-*
furtum conceptum eo. Ad hæc ergo verba Scholiastes pag. 88. edit.
 Froben. *Moris erat, ut, quires furtivas quæsitum aedes cujusdam ingre-*
derentur, nudi ingrederentur, ne quid sub vestibibus occultentes clam fer-
rent, néve ex inimicitia, quod quærere se simutabant, sub tunica occul-
tatum inferrent, dominòque falsum crimen calumniosè objectarent. Hanc
 ob

ob causam ingressuri ades etiam ad inspiciendas, querendasque res publicas, nudi ingrediebantur, ne quid occultaretur. Paulò plenius eundem ritum describit Plato de Legib. XII. p. 691. Furtum requisiturus alicubi, nudus, & Licio incinctus, ceterà discinctus, deòsque Legum custodes adjurans, se inveniendi spe id facere, ita demum requirito. Dominus verò tum exhibeto domum, & in omnibus sive obfignatis, sive minus obfignatis locis liberam furti inquirendi potestatem facito. Et, cum plerásque Quiritum leges in XII. Tab. relatas ex jure Attico fuisse desumptas, aliunde constet, etiam ritum hunc inquirendi (seu concipiendi rem furtivam, vid. §. 4. Inst. de obl. que ex del. nas.) ad Romanos quoque migrasse, facile credendum est. Imò nec dubitare sinunt Festi verba sub voce Lance pag. 304. Ibi: Lance & licio dicebatur apud antiquos, quia qui furtum ibat querere in domo aliena, licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat, propter matrum familias, aut virginum presentiam. Sed quid Lanx, & Licium? Licium est quæcumque tela ex filis contexta, vel contorta. Hinc apud Petronium cap. CXXXV. licium varii coloris filis intortum. Quid igitur Lanx? & cui usui? Lanx dicitur à Græco λανξ cavitatis, adeoque hoc vocabulo descripsisse videntur antiqui, quidquid concavum erat. Unde corrui ridicula quæstio, quam hinc nonnulli movent, quid profuerit, intrasse gynæconitum, & nihil videre? itémque an lancem perforatam præstulerint? Quum igitur nudis incedendum esset requirentibus; Sanè pudor suadebat, ne faciem conspiciendam darent, agnosci que se paterentur à foeminis. Hinc Lancem, id est, uti verosimiliùs interpretantur, larvam lancis instar concavam, vultui aptabant. Non ergo lancem objiciebant oculis, ne foeminas viderent (& hinc gratis hinc obvertitur, Romanas matronas, & virgines non gynæconiti inclusas, sed in celebritate versatas esse) sed quia eos puderet, à foeminis agnosci. Atque hæc est antiqua illa observatio, quam in concipiendo furto adhiberi etiam voluerant veteres Romani, postea tamen L. Abutiâ, Gellio Noct. Att. XVI. 10. teste, abrogata. Verùm redeamus ad Longobardos.

Ar-

Arguitur (IV.) Satis inclementer ambitio Clericorum, quòd undique sese immiscuerint negotiis sæcularibus : quòd omnia ad sua judicia traxerint, ut recenset Hoffm. *d. l. lit. e.* & denique, quòd allaboraverint se eximere regia jurisdictione. At quid boni sperare potest Clerus ab homine Acatolico summè infenso? Profectò, quid æquiùs, quàm causas Ecclesiasticas trahere ad debitum forum? Quid sanctiùs, quàm Clericos à Jurisdictione sæculari esse immunes? Hæc tamen reprobantur!

§. IV.

De Legibus Longobardorum.

LONGOBARDI, sive potiùs LANGOBARDI, ut alii ma-12
lunt vocitare, se offerunt: Hos ad Suevorum gentes refert Tacit. 2. *Añal.* 45. §. 1. Vellejo Paterculo *L. 2. Hist. c. 106. Gens etiam Germana ipsâ feritate ferocior.* Et de iisdem Tacitus *de M. G. cap. 40. §. 1. Longobardos paucitas nobilitat, quòd plurimis, ac valentissimis nationibus* (quales utique Semnones, Hermunduri, Cherusci) *cincti, non per obsequium, sed præliis, & periclitando tuti sunt.* De sede, ac finibus eorum, & unde nomen acceperint, magna est disceptatio. vid. desuper Hartknoch. *diff. de origin. Pomeran. §. 5. Cluver. Lib. 3. G. A. cap. 26.* existimat, degisse in locis, ubi nunc est Marchia Brandenburgensis cognomento *Media*, & pars Archiepiscopatus Magdeburgensis. Urbem Bardewic celebrem olim, post deletam, ex cujus ruinis Luneburgum crevit, & Bardingau vicinam regionem indicare Bardorum oppidum, vel pagum, observavit Leibnitius. Hæc Hertius *cit. diff. part. 2. cap. 2. §. 22.* Langobardos à barbæ longitudine exinde vocitatos, autumat Diaconus *Lib. 1. cap. 19.* his verbis: *Certum tamen est, Langobardos ab intactæ ferro barbæ longitudine appellatos; nam juxta illorum linguam LANG LONGAM: BARD BARBAM* significat. Imperante Marco Aurelio Antonino, Longobardi, juncti Obiis, magnâ manu Danubium transiêre, & à Vindice, ac Candido fugati cum Romanis per legatos pacem fecisse dicuntur. Ab hinc per annos trecentos circiter, & sexaginta de iis nihil,

U

quod

quod quidem memoratu dignum sit, in historia Romana invenitur: Nisi quòd prima iterum mentio eorum fiat apud Prosperum Aquitanum Theodosii temporibus, cum Regem sibi fecere Agilmundum. Postea sive à Narsete, ob injuriam à Sophia illatam, ut multi volunt, invitati; sive propriâ sponte, Alboino Rege Duce, juncti triginta circiter Saxonum millibus, aliisque nationibus per Pannoniam, & Noricum Italiam petierunt A. DLIIIX.

13 Legitur passim „spoliatas ab iis, & incensas Ecclesias: Sa-
 „cerdotes truncatos; diruta Monasteria; vastatas urbes; ever-
 „sa castella; milites Romanos, qui munitis urbibus præsidio
 „erant, ejectos, aut caesos; complures in insulas, aut mariti-
 „ma loca fugere compulsos. Et Paulus Warnefridus ipse fa-
 „tetur, in externos immites fuisse, ac atroces. Pacatè tamen,
 „atque innocenter inter se vixisse, fertur, veluti testatur idem
 Warnefridus *L. 3. cap. 15. Erat sanè, ceu narrat, hoc mirabile: In*
regno Longobardorum, nulla erat violentia, nullæ struebantur insidiæ:
nemo aliquem injustè angariabat: nemo spoliabat: non erant furta, non
latrocinia: unusquisque, quò libebat, securus sine timore pergebat. Sa-
tis audisti: Legum statum rogas?

14 Inter Reges, qui Longobardis leges dederunt, primus fuisse dicitur Rotharis, de quo Paulus Warnefridus *Lib. 4. hist. Longob. cap. 49. Rex Longobardorum, Leges, quas solâ memoriâ, & usu retinebat, scriptorum serie composuit, codicemque ipsum Edictum appellari præcepit. Erat autem jam ex quo Longobardi in Italiam venerant, annus septuagesimus; sicut idem Rex in Edicti sui prologo testatus est. Prologum huncce exhibet Sigonius. Lib. 2. de regn. Ital. ad A. DCXLIII. Videri quædam possunt apud Conring. d. tr. c. 11. Hoc Edictum hinc inde fuisse mutatum, auctum, aut emendatum, memorat Lindembrog. in proleg. Leg. antiq. „Rotharim, inquit, secutus est Grimoaldus Rex, & sexto regni sui anno, mense Julio, Indictione XII. quæ in priore Edicto emendanda visa fuerunt, per suggestionem Judicum correxit, & renovavit. Hunc Luitprandus, qui & ipse statim ab anno regni sui primo usque ad annum XXII. die Kal. Mart. Indiçt. III. in Edicti pagina multò plura, quàm*

quàm priores duo, adjunxit, quæ in MSS. Cod. suis epigraphis distincta leguntur., Plura exhibet Laud. Conring. *ubi supra*.

Cæterùm indubium est, Longobardos postquam, Ariar-15
norum sectâ relictâ, veram fidem amplexi sunt, etiam multùm
mutâsse mores, optimâsque tulisse, & coluisse leges: testatur
hoc Sigon. *Lib.3. de Regn. Italiae in calce*. Ibi: *His etenim latrocinia,
rapinae, caedes, adulteria severissimè vindicantur, ac libertas, & for-
tune privatorum summo studio conservantur; Id ipsum docent tum Tem-
pla magnifica, & Monasteria amplissima, quibus virtutis ergò ipsi, po-
tissimum citeriorem Italiam exornârunt; quum etiam Basilicæ Episcopo-
rum, quas amplissimis premiis honestârunt; inclita oppida, quæ aut no-
va condiderunt, aut diruta instaurârunt: nec non homines sanctitate con-
spicui, quibus honores eximios habuerunt.* Longobardorum imperio finem imposuit Carolus ille verè Magnus, qui ab Adriano S. Pontifice imploratus, devictô Desideriô eorum Rege, ac rebûs pacatis, Italiam à Longobardis per ducentos & ultra annos detentam eidem S. Præsuli restituit.

Reflexio Historico-Critica.

Abrogatô Longobardorum Regimine, eorum Edictis, de 16
quibus hætenus, ab Imp. Francicis novæ leges adjectæ legun-
tur. Ex his Regum Edictis, Imperatorum legibus, ac capitularibus ea enata est legis Longobardicæ collectio, quæ hodie *tribus Libris* exhibetur. Quamquàm circa ejus antiquitatem variz inveniantur conjecturæ, ea tamen privatô studiô facta fuisse videtur: Mira confusio in eo observatur, capitibûs dispersis, neglectâ temporum ratione, omnia miscentur; multa quoque ex Francicis Capitularibus imò Romanis juribus excerpta inveniuntur. In tanta legum diversarum mixtura, de genuinis, atque primis Longobardorum moribus parùm dici poterit. Paucissima verò observare hîc liceat. Homicidiis jam durior poena statuta, polygamia, & concubinatus interdicti; multa in favorem Clericorum constituta; probationes vulgares, & canonicæ, inprimis eæ, quæ fiebat per duellum, nec non multa alia superstitionosa recepta: occurrunt quoque aliquando iniqua, &

magnam absurditatem redolentia, ut notat mem. Hoffm. cit. *Dissert. Sect. 4. §. 2.* Nec desunt, qui ex his Legibus antiquitatem juris feudalis commendant, quam opinionem meritò rejicit. Illustr. noster Fr. Jos. de Herzenfeld. *Elem. Jur. Feud. c. 1. part. 1. §. 3.* Hoc non inviti e contra dabimus, Codicem hunc juris Longobardici esse perantiquum, cum jurium Longobardicorum, jam *feud. 1. t. 10. Item feud. 2. tit. 1. 22. & 58.* fiat mentio. Interim tamen satis est credibile, ut notat Lindenbrog. apud prælaud. Hoffmann *ubi supra lit. a.* multas additiones, & interpolationes ab hominibus huic operi minùs idoneis immixtas Codicem hunc passum fuisse.

§. V.

De Legibus Burgundionum.

17 **B**URGUNDIONES (qui à Carolo M. *etymologia* ab eorum Rege GUNDEBODO, seu GUNDEBADO deducta, Gundeboingi, Burguntæ à Ptolomæo, silentiò transmissi à Tacito, ita autem dicti à Plinio *L. 4. hist. N. cap. 14.*) in hodierna Polonia majore habitasse videntur. Consul. Cluverius *Lib. 3. G. A. cap. 36.* Postea eos in Cattorum agris circa oppida; quæ nunc dicuntur Cassela, & Marpurgum, confedisse, idem Cluverius *d. l. p. 644.* probat. Populus hic A. CCCCVI. Arcadio VI. & Probo Coss. Honorio imperante (eodem ferè tempore, quo Alani, Vandali, & Suevi) Rhenum sine difficultate transiit. Paulus Orosius apud Hertium *d. diff. part. 3. c. 6.* ita refert: „Excitatæ per Stiliconem gentes Alanorum, Suevorum, Vandalarum, ipsòque simul motu impulsorum Burgundionum, multæque cum his aliæ copię viribùs intolerabiles, quibus nunc Galliarum, Hispaniarumque provinciæ premuntur, Francos proterunt; Rhenum transeunt; Gallias invadunt, directòque impetu ad Pyrenæum usque perveniunt: cujus obice ad tempus repulsæ, per circumjacentes provincias refunduntur. „ Cæterum postquam, ut mox dictum, à patria sede ad Rhenum profecti sunt, nunquam postea conquieverunt, donec in ea par-

parte Galliarum confederint, quæ hodiè ab eorum nomine gemina dicitur BURGUNDIA, ducatus, atque comitatus. Primum tamen in Chattorum eos solo, proximè Alemannos trans Moenum confedisse, è Marcellini historia *Lib. 28.* probat Cluv. *Lib. 3. cap. 36.* Maxima bellicosissimæ genti gloria exinde emicat, quòd inter arma legum curam non neglexerit, quarum ultimum monumentum in lege Gundeboda deprehendimus: licet non temerè suspicari quis possit, jam antea jure quoque certo & scripto gentem vixisse. Testatur quippe, ut tradit Schurtzfleisch *Hist. Burgund. cap. 3.* in præfatione hujus legis hæc haberi *Liber constitutionum de PRÆTERITIS ET PRÆSENTIBUS, atque in perpetuum conservandis legibus.* Nec non in verbis legis ad priorum Regum constitutiones provocatur. *v. tit. 1. c. 1.* Allegat formalia Conring. *cap. 6.* In DEI nomine, anno secundo regni domini nostri gloriosissimi Gundebaldi Regis, Liber constitutionum de præteritis, & præsentibus, atque in perpetuum conservandis legibus, editus est sub die VI. Kal. April. Lugduni.

Reflexio Histor.

Singularem æquitatis speciem præferre, Lex Burgundionum multis videtur, neque sine ratione, quamquam humanitatem, quæ Romanos præter Germanorum morem tractabant, non tam ex æquitatis studio, uti opinatur CONRINGIUS, quàm ex foederis lege cum suis hospitibus, id est Romanis, pacta descendisse, ex vulgari præsumptione credendum sit. Propensissimi equidem fuisse leguntur ad humanitatis erga hospites officia, uti referenti Hoffmanno patet, & ex *tit. 38. c. 1.* argui potest: Ibi: *Quicumque hospiti venienti lectum, aut focum negaverit, trium solidorum in latione mulctetur.* Item *cap. 3. De Legatis extranearum gentium, ut dictum est, id volumus custodiri, ut ubicunque eos mansio &c.* Non tamen desunt, quæ nimium rigorem, & duritiam sapere videntur. Adulteria & furta (id tolerari potest) capitali usquè poena ulciscabantur: At (quod durius erat) matrimonia ingenuæ cum servo utriusque morte extinguebant, mulierem mariti, liberos parentum delicta, & furta non manifestantes du-

rissimâ afficiebant pœnâ. Ambigitur præterea, num suorum Antecessorum vestigiis inhæserint; Romanis enim Gens ista immixta, suique vix non oblita eorum etiam mores induisse videtur; hinc tam cognita erant Testamenta, quàm etiam Romanis usitatæ Solennitates in testandi actu penè omnes introductæ. Ita alteraverat conjunctio cum Romana gente antiquos mores: adeò ut LINDENBROGIUS non dubitet asserere, Legem hanc cum Papiniani Responsorum Libris plenissimè convenire, ut verosimile sit, hos quoque Gundebadi mandato fuisse collectos. Vid. Henr. SPELMANNI *Glossarium sub voce Lex Burgundionum.*

SECTIO TERTIA.

De reliquis Germanorum Legibus usque ad Caroli M. tempora.

EGimus hætenus de Legibus eorum populorum, qui initio Germani quidem fuerunt; sed sese ad alias Nationes, seu loca conferentes sedes alibi fixerunt: Modò statum Legalem illorum, qui in Germania mansêre, quantum fieri potest, succinctè lustrabimus. Et convenit, ut ob eminentiam dicamus

§. I.

De Lege Francorum Salica.

UTi Francorum natio notissima est, ita planè dubia videtur illius origo. Sunt, qui existimant, Francos è Pannonia fuisse digressos, & primò quidem litora Rheni incoluisse. Alii eorum ortum ex Franconia ad Moenum, alii verò à Gallis, qui in Germaniæ partem, postea Alemaniam nuncupatam, transmigrâsse creduntur, deducunt. Verissimam sententiam, esse dicit Hertius. *Not. Regn. Franc. c. 1. §. 5.* quæ Francos origine Germanos statuit. Prævit cum aliis Procopius. *I. de Bell. Gothor.* qui Francos antiquitus Germanos appellatos scribit, & Germa-

manos modò, modò Francos vocat quinquies, sexiésve. Deinde ex lingua, quæ haud dubiè Germanica fuit, ùt leges veterum Francorum, & monumenta historica abundè liquidum faciunt, in quibus, quæ Latinis verbis efferri non potuerunt, vernaculâ Germanorum linguâ exprimentur: Et hanc opinionem etiam amplectitur Cluv. *G. A. III. c. 20.*

Unde nomen? Æquè incertum: Quidam fabulantur, ùt tradit Laud. Auth. *ibid. §. 1.* in Phrygia adhuc degentes Trojanos; in Germania Sicambros (quod ultimum verosimile est: hinc Remigius Episcopus Rhemensis ad Clodovæum baptizandum: *Mitis depone colla Sicamber*) & demum à Franco, seu Francione Rege Francos nuncupatos. Aliqui causam appellationis Francicæ repetunt ab immunitate stipendiorum, quâ ab Imperatore Valentiniano in decennium donati fuère. Ab hac opinione non multùm recedunt, qui à libertate derivant, quòd armis, & animis conspirantibus jugum Romanum excusserint. Prima eorum mentio haberi creditur apud Vopiscum in Aureliano, ubi militum cantinela: *Mille Francos: mille Sarmatas semel occidimus, mille mille, mille mille Persas querimus.*

Leges Francorum quænam? Famosissima præ omnibus Germanorum Legibus fuit LEX SALICA. Res ab incunabulis à quodam Auctore Anonymo apud Conring. *ubi supra cap. 7.* ita narratur: *Defuncto Sunnone, Franci petièrunt consilium à Marcomiro, ut Regem unum haberent; sicut & ceteræ gentes: & ille dedit eis consilium, & elegerunt Faramundum filium Marcomiri, & levaverunt eum super se Regem crinitum. Tunc & legem habere cœperunt, quam consiliarii eorum priores gentiles, bis nominibus, Wisogast, Arogast, Salogast, in villabus Germaniæ, id sunt Bodacheim, Salecheim, Widechim, tractaverunt.* Confirmant hoc, quæ habet Ado Viennensis, quem constat vixisse usque ad annum DCCCLXXX. *Franci, scribit, egressi à Sicambria pervenerunt in extremas partes Rheni fluminis in Germanorum oppida, ibique aliquot annos cum Principibus suis Marcomiro, & Sunnone resederunt. Ubi primum Regem Pparamundum sibi postmodum statuunt, legibusque se subdunt, quas priores eorū Wisogastus, & Wisogastus, Arogastus, Salogastus invenerunt. Hinc addit Otho*

Otho Frising. *Lib. 4. Chronic. cap. 32.* Ab hoc Salogasto legem, que ex nomine ejus Salica usque vocatur, inventam dicunt. Hac nobilissimi Francorum, qui Salici dicuntur, adhuc utuntur.

I. Reflexio Hist.

4 Dicitum mox supra, Francos fuisse origine Germanos: Id quod ex eorum sedibus, quæ, ut vult Hertius, nullibi rectius, quam inter Rhenum, Visurgim, & Albim collocantur, verosimilius deducitur. Nec aliter sensit Cluv. *G. A. d. Lib. 3. c. 20.* ubi imprimis ita arguit: In tabula itineraria hæc nomina, quamvis miserè luxata, corruptaque, super Rheni ripam proximè Oceani litus leguntur: CHAUCI. AMPSIVARII. CHERUSCI. CHAMAVI. QUI ET FRANCI. Sequiturque in eadem ripa, magnis literis ipsius regionis nomen,

FRANCIA.

Post quod positi sunt BVRCTVRI: quos & ipsos sub Francorum nomine fuisse computatos ex Sulpitio apud Gregor. Turonens. *Lib. 1. c. 9.* abundanter colligitur. Illius formalia referuntur à mox prælaud. Cluv. *cit. loc.* quæ sic sonant: „Eodem „anno Abrogastes Sunnonem, & Marcomerem, subregulos „Francorum, gentilibus odiis infectans, Agrippinam, rigente „maximè hyeme, petiit: ratus tutò omnes Franciæ recessus „penetrandos, urendosque, cum decussis foliis nudæ, atque „arentes silvæ insidiantes oculere non possent. Collecto ergo „exercitu, transgressus Rhenum, Bricteros, ripæ proximis, „pagum etiam, quem Chamavi incolunt, depopulatus est; „nullo usquam occurfante, nisi quòd pauci ex Ampsivariis, & „Chattis, Marcomere duce, in ulterioribus collium jugis apparuere. „De iisdem Ansivariis etiam Marcellinus *Lib. XX.* „Julianus in limitem Germaniæ secundæ egressus, omnique apparatu, quem flagitabat instans negotium, communitus, Trajectensi Mosæ oppido propinquabat. Rhenò deinde transmissò, regionem subito pervasit Francorum, quos Ansivarios vocant. Idem Cluv. *loc. cit.* numerat insuper populos Fran-

Francorum nomine comprehensos (ut erant Brueteri mox memorati Chamavi, Ansivarii, Chauci, Cherusci, Sicambri, Ufipii, Tencteri, Chatti, Salii (unde fortè nomen Legis Salicæ) recensentur.

II. Reflexio.

Francorum Gens omnium, quotquot magna illa, atque 5
 vasta Germania tulit, nobilissima dicitur: Hæc longè, latèque, non modò domi, & patrias sedes incolens, sed in exteris etiam postmodum regiones, cis Rhenum, Danubiùmque effusa, tam gloriòse, quàm verè Romani imperii excidium deprædicatur. Hinc magis firmari videtur, nomen inde sibi adscivisse, ubi Romanorum jugum excusere Nobilissimi Franci. De tempore ita scribit Cluv. cit. Lib. 3. c. 20. *Factum id ego arbitror paulò post, quàm Alemanni, contra Romanos rebellantes, in Galliam, Rhetiamque excurrere cœperunt.* Evinci hoc posse, idcirco credit, quòd Probus LVIII. circiter annos post Caracallam (qui Alamanici cognomen primùm sumpsisse, communiter refertur) imperio potitus bellum contra Francos gessisse dicatur. Unde non dubitat Laud. Auctor ea, quæ habet Zosimus Lib. 1. ad Francos pertinere, sunt autem hæc: *Gallienus, videns Germanicas gentes ceteris infestiores esse, & accolas Rheni nationes Gallicas acrius infestare; hanc partem sibi ab hostibus propugnandam sumebat.* Post Alemannorum tandem (pergit ibidem) *trans Mœnum expeditionem exortum esse Francorum nomen, & rempublicam, satis certum est.* Quippe si jam antè viribus inter se fuissent juncti, haud facillè Alemanos Mattiacorum occupare solum passi fuissent. Hæc igitur antiqua illa, ac vera Francia, hæc Francorum gens, omnium totius Germaniæ nationum florentissima; quæ, quum diu, multùmque, ac variis modis Galliam depopulata esset, tandem maximam sui parte in ea confedit. Unde ea primùm Galliæ pars Francia dicta, quæ hodièque vulgò vocatur L' Isle de France, id est, *Insula Franciæ*: mox verò, aliis etiam Galliæ gentibus, tam prisca indigenis, quàm nuper ingressis Burgundionibus, ac Gothis

this debellatis, tota illa pars Europæ prælustris, ac omnium penè nobilissima Gallia in idem Franciæ nomen transiit.

- 6 Pars tamen gentis Francorum in Germania trans Rhenum remansit; in Alemannorum, ut supra dictum, circa Moenum loca transgressa. Unde Francia gemina facta, *Cisrhenana*, & *Transrhenana*; sive *Occidentalis*, atque *Orientalis*. Huic vocabulum postea tributum *FRANCONIÆ*, & genti ipsi *FRANCONUM* nomen; ab antiquo scilicet gentis vocabulo *FRANKON*.

III. Reflexio Histor. Critica.

- 7 Si Franci ex deductis fuerunt origine Germani; credibilis etiam est, primordia Legis Salicæ in Germaniæ solo fuisse condita, ceu satis constat ex supra allegatis (§. 1.) nec non ex formalibus, quæ ex Chronico Moissiacensi adducit Wendelin. Ibi: *Tunc & legem habere ceperunt, quam consilarii eorum priores bis nominibus, Windegast, Visogast, Arogast, Salegast in villabus Germaniæ, Idseo, Jubothagia, & Windigatin tractaverunt.* Sanè sive fuerit lata paulò ante Pharamundum, ut quidam volunt, sive tempore, quo ille Rex fuit constitutus, semper inferendum, originem fuisse natam in Germania, cum ille à Francis fuerit in Germania Rex creatus. Eum prævivere Sunno, & Marcomirus: Hos in Germania vixisse, liquet ex iis, quæ Gregorius Turonensis *Lib. 1. cap. 9.* ex Sulpitio Alexandro refert. Si prædicta testimonia quoad locum Legis Salicæ in dubium vocare placuerit, ut facit Chifletius, opus fuerit (quod tamen non audent) ut totam narrationem rejiciat: omnis quippe narratio ejusdem est fidei: Partem si luxaveris, totam jam fregisti.

- 8 Potissimum, quod hic regeri posset, fuerit, Legem Salicam in usum Gentis Salicæ fuisse conditam: Salios autem non Francos Transrhenanos, sed qui in Galliam migraverunt à *Salia* amne dictos, nemini non constat. At si hæc nominis etymologia subsistit (quod tamen multi negant) nondum tamen sequitur, hanc legem non fuisse in Germania natam, cum incompertum sit, an statim fuerit *SALICA* dicta? & quod Salii nomen solis prorsus Gallis tributum fuerit? Sodes! An non potuit primum

mum tunc hoc nomen esse sortita, ubi Franci in Galliam effusi Saliorum sibi nomen adscripserunt? vid. desuper latius Conring. d. cap. 7.

Locum Germaniæ rogas? Si eruditissimi Viri hunc determinare non sunt ausi, minus nos, qui tyronibus scribimus, hoc facere præsumimus. Quibus dentes pruriunt, consulant Conring. ubi suprâ, & alios ab eo citatos. Nobis sufficit adnotâsse duas extare hujus Legis editiones, haud parùm inter se diversas; altera Basiliæ Heroldi: Altera Pithœci, quam Fridericus Lindenbrogius in Codicem Legum antiquarum transferens, suam quasi fecit. Utriusque præfationem refert Conring. ubi suprâ. Lindenbrogianam à Pitœcana in hoc differre, ait cit. Auct. quòd illa post nomina Legislatorum addat: *In villis, quæ ultra Rhenum sunt Salabain, & Bodobain, & Widobain.*

IV. Reflex. Histor. Critic.

Erudiri cupis circa contenta L. Salicæ? Præprimis autem 9
 mant, per hanc Legem à successione excludi fœminas. Ita c. 72:
sum. 6. de Terra verò Salica nulla portio hereditatis mulieri veniat, sed ad virilem sexum tota terra hereditas perveniat. Acerrimè de hoc capite fuit inter Philippum Valesium Gallum, & Eduardum III. Angliæ Regem post mortem Caroli Pulchri disputatum, vid. desuper LIMN. Notit. Regni Francia Lib. 1. cap. VIII. & Excell. D. LUDEWIG dissertatio, quam inscripsit: *Justas Anglorum in Galliam prætensiones*: sunt tamen, qui hanc fœminarum exclusionem non ad statum publicum, sed privatum spectare, ajunt; Et alterum tantum per observantiam fuisse introductum. Cæterum in rebus privatorum occupabatur circa dictandas poenas criminibus isti genti familiaribus: consistebat verò malitia istius seculi in furtis porcorum, animalium, ovium, caprarum, avium, apium, arborum, tintinnorum, mancipiorum, & servorum, porrò in homicidiis, in adulteriis ancillarum, in falsis testimoniis, fracta fide, corporibus expoliatis &c. Poenæ erant plurimum pecuniariæ; imò etiam gravissima delicta poterant pecuniâ aboleri. Sic homicidia (*tit. 18. c. 1.*) etiam fœminarum

gravidarum (*tit. 21. c. 5.*) Infanticidia, immissa ædibus, hominibûs dormientibûs, incendia (*cit. tit. 21. c. 1.*) pecuniâ multabantur. Sola poena ictûs, fustigationis, & castrationis erat cognita; & inprimis in servos, & peregrinos, id est Romanos, statuta, quò spectat. *tit. 43. cap. 7. & tit. 44. cap. 4.* Quapropter justitia, ut ajunt, vindicativa non rarò quidem lenitatem, quandòque tamen nimiam severitatem affectabat. Leges erant plurimùm nimis speciales, & ad singulares casus directæ, iisque solùm determinatæ: Hinc non poterant in aliis casibus occurrentibus non deficere. Quandòque etiam non multùm ab iniquitate videbantur alienæ, &, utut singularem simplicitatem præferre consueverint; non tamen omnibûs caruerunt solennitatibus; Unicum sufficiat exemplum de possessione transferenda ex pacto acquisitivo à nostra L. Salic. *tit. 49.* desumptum. Solemnis quædam intercedebat traditio, cujus ferè omnes gentium Germanicarum leges faciunt mentionem. LEX SALICA *tit. XLIX.* eam traditionem, quæ vel *adfatomia*, vel *adramitio* dicebatur, fieri jubet in judicio, sub scuto, jacta in sinum hæredis festuca, & actu possessorio ab hoc in donatoris bonis exercito, adhibitis denique testibûs, qui, hæc omnia facta esse affirmant. Hic actus ita describitur in *cit. L.* *Postea ipse, in cujus laisam, festucam jactavit, in casa ipsius manere debet, & hospites tres suscipere.* Et quibûsdam interjectis: *Tres testes habere debet, qui jurati dicant - - quomodo vidissent hominem illum, quòd fortunam suam donavit in laiso - - & quòd in casa illius, qui fortunam suam donavit, ille, cujus in laisam festucam jactavit, ibidem mansisset, & hospites tres, vel amplius collegisset, & pavisset, & ei ibidem gratias egissent, & in beudo (mensa) suo pultes manducassent, & testes collegissent.* Cæterùm, veluti multa extitisse, quæ laudem merebantur, non est diffitendum, ita neque desunt, quorum vestigia adhuc nostris temporibûs cernimus, ut exemplum est in tortura: Et post emendationem à Regibus Christianis institutam, jus Aſyli Ecclesiis pientissimè indultum: poenæ capitales, suspendia &c. vide latius Hoffm. *d. diff. Perid. 2. Sect. 1. §. 4. in not.* Hic tamen notatum velim, horum multa non habuisse originem à Francis, seu à Lege Salica,

ca, ceu patet de tortura, de jure Asyli, & aliis passim; sed perplura fuisse ab aliis juribus derivata.

V. Reflexio Histor.

Num licebit jus, ut ajunt, Albinatus, seu Albinagii apud Francos olim maximè usitatum planè intactum relinquere? vix hoc sine justa crisi! Quid igitur nominis? quid rei Jus Albinatus? Nomen quod attinet, Franc. Barry *Tr. de Success. Lib. 1. tit. 7. num. 21.* existimat, inde dici, quasi jus advenati, quò advenarum hæreditatem concernat. Zoël. *ad ff. qui testam. fac. poss. n. 12.* exinde nomen trahit, quòd exteri, & alienigenæ nuncupentur Albini, quasi *alibi nati*, quò etiam inclinare videtur Stryck. *de success. ab int. diff. 1. cap. 4. §. 30.* His prævit Gregor. Tholos. *Syn. tag. Jur. univ. Lib. 42. cap. 8. num. 24.* ubi sic ait: *Vocaturque hoc jus droit d'aubaine, vel albanagii, id est, alibi nati. Similésque sunt isti advena, seu alibi nati, Latinâ libertate donatis servis, qui quidem pendente vitæ tempore liberi erant, sed mortis tempore servi efficiebantur, & testari de suis non poterant. L. 1. C. de latin. liber. toll.* Alii latine illud *Jus Applicationis* dicendum esse, censent, de quo Cicer. *Lib. 1. de orat.* Bodin. *Lib. 1. cap. 6. de Republ.* quod tamen displicet Kirchn. *de Republ. disp. 7. th. 2.* Unde vix non jam patet, quid rei sit? Est quippe jus, seu constitutio, vi cujus bona exterorum, seu peregrinorum, sive cum- sive sine testamento decedentium vindicantur territorii domino, seu Fisco loci, ubi decedunt, adeoque vi hujus juris bona illa, quæ in illo territorio sita, vel acquisita sunt, cedunt Fisco, utpote quasi vacantia. Quò, ut advertit Heinec. *Elém. Jur. Germ. Lib. 1. tit. 18. §. 428.* spectant tabulæ Caroli M. Monasterio Hohenaugiensi concessæ apud MABILLON. *Annal. Benedictin. Tom. II. pag. 697.* in quibus res *PEREGRINORUM* propriæ esse dicuntur Regis, secundum legem Francorum: *Excipiuntur soli peregrini Scoti, quibus omnibus Reges Francorum libertatem dederunt, ut nullus raperet aliquid de rebus eorum.* Qui locus eò est notatu dignior, quò clariùs ex eo intelligitur, jus illud odiosissimum, & antiquum, & ex ipsis Francorum legibus promanasse. Verùm enim verò ea est Germa-

nis innata, & à natura ipsa impressa humanitas, ut, sicut quibusvis, ferè exteris, seu peregrinis non modò aditum ad jura civitatum specialium, sed & ad militiam, & honores, quamvis non sine prærogativa aliqua civium, si ejusdem sint meriti, patere animadvertimus; imò & iisdem illos frui connubii, & contractuum juribus, quibus ipsi Cives gaudent, res ipsa docet; ita & jus Albinagii sustulisse, non solùm probet *Auth. omnes peregrini Cod. comm. succ.* Auctores suprà citt. alisque passim; verùm etiam quotidiana satis testatur experientia, adeò quidem, ut apud solos Galliarum Reges id adhuc observari compertum sit. Mem. Tholos. ubi suprà in verbis: *At in Gallia, allophyliis, seu exteris, & advenis inbibita est testamenti factio, & dispositio eorum bonorum, quæ in Gallia quæsiêrunt. Et ideò Rex illis succedit, tanquam ab intestato, & jure bonorum vacantium*: Varias tamen adducit limitationes, quibus non vacat immorari. Id ipsum notat *Lib. 3. cap. 12. num. 9.* Rectè itaque observavit BODINUS *de Republ. Lib. VI. numer. 62.* Juris Albinagii in Germania nullum superesse vestigium, nisi quòd vicinarum Galliarum mores, etiam Hanonios, veluti quadam contagione, infecisse videantur. Sanè apud eos servari hunc moris antiqui rigorem, testatur FRANC. ZYPÆUS *Not. Jur. Belg. p. 187.* Porrò quamvis in nostro Imperio, & generaliter apud Germanos extraneorum hæreditates consanguineis juxta Friderici constitutionem *in cit. Ausbent.* denegari non soleant, si tamen Gallus in Germania decederet, Princeps territorii ejusdem bona reversionis jure meritò vindicabit. Juxta illud: quod quisque juris in alium statuit, eodem & ipse utatur. Ita post Brunnum. *ad d. Auth. & alios passim prælaud. Stryk. loc. cit.*

§. II.

De Legibus Ripuariorum.

11 **F**aciliùs (infit Baluzius *in not. ad Capit. pag. 989.* cum Valerio) dixeris, qui non fuerint, quàm qui fuerint RIPUARI. RII. Conring. *de O. J. G. c. 10.* ita de his scribit: „Scilicet „Ripuarii dicti olim Cisrhenani populi Rheno vicini, si non „om-

„omnes, saltem qui inter Rhenum, Mosam, & Mosellam, aut
 „Germaniam secundam Romanis dictam, incoluerunt; quos ab
 „antiquissimis usque temporibus Germanicæ, ut originis, ita lin-
 „guæ fuisse constat, præsertim Romanorum ætate novis sub-
 „inde colonis à Germania Transrhenana hic collocatis, quod
 „aliàs demonstratur. „ Unde nomen (pergit ibid.) „ mihi qui-
 „dem haud certò liquet. Neque enim tutò dixerim cum quàm
 „multis, Ripuarios dictos à ripis fluminum, ad quas habitârunt:
 „Riparii enim potius fuissent appellati. „ Nisi fortè dicere pla-
 cuerit, vel hoc promanâsse ab imperito vulgo, vel Scriptore,
 aut typographo, qui, deflexò vocabulò, locò *Riparii* Ripuarii
 vel dixit, vel scripsit.

Lex verò, uti consuetudines, & statuta istius gentis conti-
 net, ita sub auspicio Regum Francorum, quorum dominium
 agnoscebant, videtur fuisse congesta, & non tam auctorem,
 quàm emendatorem habuisse *Dagobertum*, ad cujus regni an-
 num secundum non sine ratione à *BALUZIO Tom. I. Capitular.*
pag. 26. refertur. Cæterùm lege Salicâ junior multò fuit, imò
 etiam aliquando æquior, plurimùm verò valdè similis, adedò ut
 à nonnullis credatur, alteram fuisse Legem Francorum, cujus
 meminit *EGINHARDUS* in vita *Caroli cap. 29.*

Cæterùm Legis conditionem quod attinet, parùm à leni-¹²
 tate, aliquando tamen quoad rigorem à Salica recessisse, fusiùs
 ostendit Hoffm. ubi suprâ *Sect. 2. §. 2.* In processualibus jam om-
 nia ad aliam penè formam redacta erant. Causam mutationis
 fuisse, ait Hoffm. *d. l.* vel superstitionem, vel (quod passim, ut so-
 let, pro innato livore criminatur) Cleri regnandi libidinem,
 vel etiam defectum prudentiæ legislatoriæ. Hinc jam proba-
 tiones vulgares cognitæ, nec non immensa juramentorum mul-
 titudo introducta; imò etiam iudicium duellicum approbatum
 fuit. Non carebant solennitatibus, & quod reliquum erat, uti
 plurimùm causas criminales tractabant, ita etiam negotiorum
 civilium mentio hinc inde immixta deprehenditur: ubi impri-
 mis jus succedendi est notandum. *tit. 56. cap. 3.* Ibi: *Sed dum vi-*
rillis sexus extiterit, foemina in hereditatem aviatricam (legunt alii
 ATUA-

ATUATICAM, id est de terra, quæ Atuatibus propria erat) non succedat. Reservârunt quoque nostra tempora quosdam, mores ex iis legibus, & consuetudines passim hodie antiqui juris vestigia exhibentes: ita quidem, ut, non ob auctam Cleri authoritatem, ceu more solito calumniatur Hoffmann; sed ob suam æquitatem jus Romanum pedem in Germaniam intulerit.

I. Reflexio Hist. Critica.

13 Ripuariorum Legem Dagobertum *emendatorem* habuisse, diximus. Authorem sortita est Theodoricum, uti constat ex præfat. Legi Bajuvariorum præposita, quæ, referente Conring. *cit. tr. c. 9.* ita sonat: „Theodoricus Rex Francorum cum esset Catalaunis; elegit viros sapientes, qui in regno suo legibus antiquis eruditi erant. Ipso autem dictante, jussit conscribere legem Francorum, & Alemannorum, & Bojoariorum, unicuique genti, quæ in ejus potestate erat secundum consuetudinem suam. Addidit, quæ addenda erant, & improvisa, & incomposita refecavit, & quæ erant secundum consuetudinem paganorum mutavit secundum legem Christianorum. Et quidquid Theodoricus Rex propter vetustissimam paganorum consuetudinem emendare non potuit, post hæc Childebertus Rex inchoavit, sed Clotharius Rex perfecit. Hæc omnia Dagobertus Rex gloriosissimus per viros illustres, Claudium, Chadum, Indogmagum, & Agilulfum renovavit, & omnia vetera legum in melius transtulit, & unicuique genti scripta tradidit, quæ usque hodie perseverant. **ADDITUR**: Hodie decretum est apud Regem, & Principes ejus, & apud cunctum populum Christianum, qui infra regnum Merwungorum, consistunt. Hæc Prologus.

14 Porro cum dicatur hæc lex, Salicæ esse valde similis, existimant non pauci, esse, ut dictum, alteram Francorum Legem, quatenus & Ripuarii Francorum appellatione venerint, & ita eorum nomen fuerit oblitteratum. Nobis huic crisi ob temporis, paginarumque angustias non licet immorari. Cui vacat, consulat Conring. *loc. sæpius cit. cap. 7.* Huic tamen contradicere videtur Hoff-

Hoffmann. *ubi supra lit. d.* Illi prævit etiam Hertius. *Not. Regn. Franc. c. 5. §. 31.* ubi præter hoc, quòd cùm Conring. & aliis tradat duas emanâsse Legis Salicæ editiones, unam alterâ emendatiorẽ, ex Herm. Comite Nuenario hæc adducit: *Duas Francos habuisse leges ipsorum Auctores testantur, Salicam, atque Ripuariam, quibus nullus Regum ante Karolum M. addere quicquam tentavit. Ipsarum quoque penes me exemplum fuit, ipsius Karoli M. temporibus conscriptum, in quo passim gentis vocabula, quæ Latinis verbis reddi non potuerunt, vernaculâ Germanorum linguâ exprimuntur.*

II Reflexio Hist. Crit..

Hac Lege enatas esse præterea probationes, ut vocant, seu potius purgationes vulgares, superius narravimus. Misera hæc ævo (conqueritur laud. Hoffm. *loc. mox cit. §. 2. lit. d.*) Judiciorum conditio, cùm veritatis certitudo ab incertis miraculis, aut potius superstitionibus matre multarum absurditatum dependebat. Inter has purgationes nota erat (*Legis cap. 1. tit. 31.*) (I.) probatio *per ignem*, aut *aquam bullientem*, quâ reus vel illæsz manûs retractione, aut factô per ignem, seu candentes laminas illæszô transitu, suam innocentiam ostendere debebat. (II.) *Per aquam frigidam*, si reus, manibûs, & pedibûs ligatis, flumini imponeretur, & si submersus fuerit, pro innocente declararetur; si supernataverit, nocens haberetur. Plura de his tradidit Carol. Cangius. Et quamvis Ludov. Pius An. 829. jusserit, ut *examen aquæ frigide, quod hætenus faciebant à Missis nostris* (ita habent formalia) *omnibus interdicator, ne ulterius fiat*, tamen exempla plura, ut probat Laud. Cangius, ostendunt, ad usum non pervenisse. (III.) *Per judicium crucis*. Tradunt hîc, eos, qui crucis judicium subibant, expansis brachiis ad crucem per definitum tempus immobiles stare debuisse, cùm interea recitaretur evangelium, vel oratio dominica. Si igitur immobiles steterint, innocui fuerunt, si verò caderent, aut moverentur; fontes habebantur. Quod probatur illustri exemplo ex Ugelli Catalogo Episcoporum Vercensium. *Ital. sacr. tom. 5. pag. 610.* In Libro Agobardi contra judicium Dei est. *Jube ferrum, & aquam*

caeseri, quas manibus illæsis attrectem: Aut constitue cruces, ad quas **STANS IMMOBILIS PERSEVEREM**. Alii aliter explicant, ut videre est apud Laud. Hoffm. ubi supra lit. d. Quaecunque demum fuerit, Ludovicum Pium sustulisse, liquet ex Capitul. de An. 816. c. 17. Ibi: *Sancitum est, ut nullus deinceps quamlibet examinationem Crucis facere præsumat, ne Christi Passio, quæ est glori- ficatio, cujuslibet temeritate contemptui babeatur.* (IV.) *Per caseum execratum.* Dabatur panis hordeacius, vel caseus, cujus appen- sio unius uncie erat, hunc si deglutiret reus, habebatur pro innocente, si deglutire non posset, pro nocente. Verba Exor- cismi (ut ex Baluz. refert mem. Hoffm.) erant: *Fac eum Domine in visceribus angustari, ejusque guttur concludere, ut panem, vel caseum istum in tuo nomine sanctificatum devorare non possit.* (V.) Eaque sanè etiam periculosissima *Per duellum.* Consulatur quoad alios modos, si placet, mox cit. Auctor: sed quæ de Clero hinc inde ogganit, sine præjudicio legantur, velim. Agnoverunt ta- men impietatem, & summam iniquitatem horum judiciorum sequiora tempora; hinc etiam Imperatores Francici de eorum abrogatione laborârunt. Sanè quantum SS. Pontifices ad mo- rem hunc abolendum fuerint solliciti, abundè colligi potest tum ex *Can. 20. caus. 2. q. 5.* Ibi: *Nam ferri candentis, vel aque ferventis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censent canones: & quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum; cum etiam in c. 1. 2. & 3. de purg. vulg. in quorum ultimo hæc habentur: Cum igitur hujusmodi judicium (ferri candentis) sit penitus interdictum, utpote in quo Deus tentari videtur, mandamus, quatenus dictos fratres, & alios, ut ab hujusmodi conversorum gravamine omninò desistant; per cens. Eccles. appell. remotâ, compellas. jung. c. 9. ne Cler. vel Mon. neg. secul.* Verùm hæc corruptela adedò firmas radices egerat; ut non nisi introducto processu inquisitorio evelli potuerit.

III. Reflexio Critica.

- 16 Miraberis fortè, si dixero, potuisse huic superstitioni SS. Literas dedisse occasionem! Habetur *Num. 5. v. 19.* de foemina adul-

adulterii suspecta præceptum DOMINI ad Moysen, quod sic sonat: *Adjurabitque (Sacerdos) eam, & dicet: si non dormivisti vir alienus tecum, & si non polluta es deserto mariti thoro, non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congeffi. Sin autem declinasti à viro tuo, atque polluta es, & concubivisti cum altero viro: His maledictionibus subjacebis: Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo: putrescere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus dirumpatur. Ingrandiantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & utero tumefcente, putrescat femur. Et respondebit mulier: Amen, Amen.* At non debuit ex specialissimo exemplo, quod populo Judaico dederat DEUS, cui liberum erat hõc experimentõ eruere veritatem, à fidelibus N. T. confici regula, & legem purè cæremonialem, seu judicialem tam fusè extendere, & providentiam Divinam ad patranda miracula, quasi dicam, adigere.

§. III.

De Legibus Alemannorum.

AD Leges Francorum reducuntur etiam Alemanicæ. Quem 17 admodum enim sibi et ipsis leges scriptas tandem dederunt Franci, ita & paulatim earum usum in populos Germaniæ à se devictos introduxerunt. In illorum autem numero primi fuere Alemanni, & Bojoarii, à Chlodovæo Magno circa annum quingentesimum sub jugum missi. Ita tamen, ut licet in infelici prælio ad Tolbiacum, amisso Rege, Duces à Francis accipere coacti fuerint, nihilominus proprio potissimum jure vixerint, & insignia simul libertatis indicia retinuerint, ceu patet ex dictis superius §. 2. *Res. 1.* Quod ulterius hic firmamus: Ea quippe erat vincentium Germanorum indoles, atque humanitas, ut unicuique genti devictæ suæ Leges, suique mores patrii relinquerentur, adeò, ut apud Gothos, Francos, Burgundiones, & Langobardos, unus Lege Romanâ, alter Salicâ, alii Langobardicâ, Gothicâ, Burgundicâ, Alamannicâ, vel Boicâ viverent. Vid. *Heinec. Hist. Jur. Civ. Lib. 2. §. 15. & seq.* Nec ullus cogebatur legibus gentis victricis sese subicere, dum-

ne aliquid, quod Christianæ pietati repugnare videbatur, admitteret. Quod imprimis probatur *EX CAPITULAR. de partib. Saxon. apud BALUZ. Capitular. Tom. I. p. 250.* Sic Wisigothi provincialibus reliquerunt usum juris Romani: eumque in finem corpus Alaricianum compilatum novimus. *JAC. GOTHOF. proleg. Cod. Theod. cap. X.* quamvis ejus juris usum postea aboleret Childiswindus Rex, *LEG. WISIG. Lib. 2. tit. 1. §. 9.* Idem & OSTROGOTHOS fecisse, ex *CASSIODOR. Var. Lib. I. cap. 1. Lib. II. c. IV. & GREG. TURON. Hist. Lib. II. c. XXXIII.* patet. Similis fuit humanitas *BURGUNDIONUM.* Vid. *LEX BURG. præfat. p. 267. FRANCORUM, teste AGATH. Lib. I. p. 7. & aliarum gentium.*

18 Cæterum non pauca, referente Hoffmanno *cit. Period. 3. Sect. 3. §. 2.* cum reliquis Germanorum legibus communia habet lex Alamannorum: magnam quoque testatur lenitatem in puniendis atrocissimis delictis, nimirumque *ad specialitatem, & singularitatem casuum, vitiò legibus antiquis familiari, accedit.* Neque minor personarum, & rerum Ecclesiasticarum favor eminet, asyli libertate in Ecclesiis constitutâ, bonisque Clericorum egregiarum immunitatum usu ornatis: Miscentur ubique leges sacræ profanis, introductâ imprimis, & indultâ excommunicationis poenâ (Neque hîc abstinet ab injuria Hoffmannus, dum addit) *malè dominatui Clericali indultâ, & pro ejus effrenata libidine adhibitâ.* Cultus Sabbathi severissimè injungitur, ac penè eâ formâ, quâ apud Judæos juxta cæremonialis legis præscriptum observabatur, præcipitur. In privatis negotiis, quædam tam circa matrimonialia, quàm successiones, & processualia fuerunt disposita, quæ non ita profus memoriâ nostris temporibus exciderunt, quorsum & ea spectant, quæ de servorum conditione agunt. Attigerunt quoque Alamannorum leges negotia nonnulla publica, quæ tam de successione in Ducatu, quàm de perduellionis poena agunt.

I. Reflexio Histor.

19 His temporibus *AUSTRIÆ, vel AUSTRASIÆ, & NEULSTRÆ,*

STRIAE, sive **NEUSTRASIAE** celeberrima nomina orta fuisse, notat post alios Werlhof. *Not. S. R. Imp. Lib. 1. c. 2. §. 90.* Ita ut **AUSTRASIA** indicet partem Regni Francici Orientalem, & **NEUSTRASIA** Occidentalem. Pars itaque Franciæ Rhenum inter, & Mosam jacens, eamque terrarum regionem (præter alias, de quibus laud. Auctor) complexa, quæ Cis-Rhenanæ Germaniæ, Lotharingiæ, atque Belgicæ, & Campaniæ Remensis nominibus dignoscitur, **AUSTRIÆ**, sive **ORIENTALIS FRANCIÆ** vocabulo insigniri cœpit. **FRANCIA ORIENTALIS** itaque (sunt verba Alberici apud Werlhof. *d. c. in not. lit. d.*) comprehendebat Bojariam, Sueviam, Saxoniam, Thuringiam, Frisiam, Lotharingiam. Partem alteram, à Mosa sive Austriæ potiùs etiam cis Mosam finibus, ad Ligerim, **NEUSTRIAM**, vel **NIUSTRIAM**, nonnunquam **NEPTRICUM**, vel **NEPTRIAM**, item **OCCIDENTALEM, ET NOVAM FRANCIAM** (additâ ultimis Clotarii II. temporibus Burgundiâ, quæ nonnunquam etiam Austriæ adhæsit) dixerunt. Hinc longè veriùs existimat Conring. *cap. 8.* Austriam nostram esse, ita dictam non, quòd Franciæ, sed Baviaræ sit pars Orientalis.

„ Certè (infit) utraque Provincia non nisi exigua portio, illa
 „ quidem Francorum regni Occidentalis, hæc eorundem regni
 „ Orientalis est; neutra olim simpliciter vel Westrasia, vel Au-
 „ strasia, aut Austria appellata. Hinc sanè Marchiæ, aut Mar-
 „ chionatûs titulus Austriæ nostræ semper olim adjunctus: quòd
 „ nimirùm sive Bojarici Ducatûs, sive regni Francici Orienta-
 „ lis limitanea provincia esset contra Pannoniam, ejusque illâ
 „ ætate incolas Avaros, quibus Hungari successerunt, *Marchiæ*
 „ *Orientalis* appellationem habet, teste Ottone de S. Blasio *in*
 „ *additionib. ad L. VII. Frisingensis cap. VI.* Qui Marchiæ titulus
 „ post in Ducatum, & postremò Archiducatûs dignitatem com-
 „ muratus est. Nec verò olim soli Franci, sed & Longobardi
 „ in Italia Austriam suam, & Neustriam habuerunt. „ Hæc me-
 „ mor. Auctor, qui suam opinionem ex iis, quæ tradit Browerus
 „ *Histor. Trevirensis Lib. V.* ubi hæc opinio, & ea, quæ hætenus
 „ dicta sunt, solidè confirmantur: Hinc temperare nobis haud
 „ possu-

possumus, quin ejus formalia, prout ex Vorburgio pag. 124. ea
 adducit Conring. ubi suprâ, ad rei dilucidationem annectamus,
 „ Galliam (inquit Browerus) Transalpinam Franci, postquam
 „ Clodovæi auspiciis, armisque penè totam subjugarunt, à cœ-
 „ lorum cardinibus, ventisque sumptis idoneis ex idiomate suo
 „ vocabulis, bipartitò secuere. Posterior enim illius, quæ so-
 „ lem cadentem aspiciebat, Neustria, sive Westria, partem, quæ
 „ vergebat in Orientem æstivum secundùm Rheni flumen, Au-
 „ stria, sive Austrasia appellata fuit. Constat usûs antiquitas ex
 „ testamento, quod extat in beati Remigii codicillis: ubi pos-
 „ sessiones Ecclesiæ in Austria, sive Thuringia locatas, & Epi-
 „ scopos Neustriæ à Germaniæ, Galliæque diversos exprimit.
 „ Porrò Austrasiæ voci notionem haud eam certè subjectam, ,
 „ quam vulgus ab Austro, vel Meridie potiùs arripit, doceant
 „ antiqui rerum Francicarum Scriptores, qui incolas Austrasiæ
 „ modò Francos Orientales, modò Galliæ inferioris respectu
 „ Superiores dixere. Austrasiæ verò limites, etsi successionum
 „ variante sorte, persæpè jam contracti angustiùs, jam sparsi
 „ in longinqua fusiùs exordio suo vacillârunt: intra vagum ta-
 „ men illum, & malè coërcitum ambitum, quamdiu quidem, ,
 „ regnum incolume stetit, ea terrarum regio nomen id obtinuit,
 „ quæ Cisrhenanæ Germaniæ, Lotharingiæ, atque Belgicæ,
 „ Campaniæque Remensis nominibus hodie non est ignota.
 „ Austrasiam ergo à Parisiorum regno Matriona dividebat ad
 „ Occidentem. Ab Oriente terminus ejus Rhenus, donec Thu-
 „ ringia, & Alemannia quoque in Austrasiorum nomen con-
 „ celsere. Cæterâ parte versùs Meridiem objectâ Burgundiâ
 „ finiebatur. Et fuit inde tempus, cùm Austrasiæ quoque re-
 „ gnum Alemanniæ nomen tulit. Unde posteris, ab Alfatiis
 „ ad Oceanum usque Rheni fluminis accolæ, Alemannos, &
 „ inferæ Germaniæ populos eosdem vocitare mos fuit. Restri-
 „ ctior itaque in finiendo, tribuendoque spatio Aimonius: cæ-
 „ teroqui designator, cui libenter concedamus. Galliæ nám-
 „ que totius regionem partitus sedes illi duas modò Francorum
 „ auctoritate tribuit: illam, quæ Septentrionem versùs excur-
 „ ,rens

„rens Mosam inter, & Rhenum extenditur, Austriam; quæ
 „verò à Mosa Ligerim appetit, Neustriam appellans. Aquitanis
 „interim, & Burgundionibus in hanc sortitionem minimè ve-
 „nientibus. „ Hæc omnia Browerus, quamvis subobscurè.

II. Reflexio Hist. Critica.

Juvat redire paulisper ad L. Alemannorum: non enim li-20
 cet scommata, quæ impudenter eructat Hoffmann, silentiò
 præterire. Ad asyli libertatem, & immunitatem Ecclesiis, bo-
 nisque Clericorum pientissimè indultam ita calumniari non
 erubescit: *Nullum majus Clericalis superbiæ arcanum, quàm JUS*
ASTLI concessum: huic enim fundamento multa superstruxerunt ambi-
tioni eorum faventia principia. Paulò post (lit. b.) His mediis aucta
sunt Clericorum patrimonia. Jam incipiebant insatiabilem divitiarum
aviditatem sub pietatis prætextu prodere. Carpit (lit. c.) abusum
excommunicationum, & his verbis contemnit: Hæc diu in ter-
rore, & obsequio mundi superstitionem detinuit, donec brutum illud ful-
men deridere cæperunt saniora sæcula. Interim per hoc medium attingit
Cleri potestas summum potentia fastigium: Impudens calamus! su-
perbiæ arcanum appellat cultum DEO T. O. M. Ecclesiisque
eidem consecratis debitum. Principum Aulae, Legatorum palatia
asyli prærogativâ gloriantur: careat tamen Aula REGIS Re-
gum, & DOMINI Dominantium: Clericorum, atque eorum
bonorum immunitatem, si non est absolutè Juris Divini, quod
tamen alibi (Diff. Acad. ad ff. tit. de Jud. part. 2. Sect. 2. §. 1.) pro-
bavimus, sanè ad exemplum Sacerdotum T. V. introductam,
& tum à Summis Pontificibus, & Oecumenicis Conciliis, cum
etiam à Principibus sæcularibus pietate, & prudentiâ (certè
Hoffmannianâ quàm longissimè eminentiori, ac excellentiori)
celeberrimis optimò consiliò, jurèque singulari confirmatam
esse, nemo, qui micam virtutis, ac veræ religionis habet, ne-
gaverit. Cæteroquin verò, uti abusum excommunicationum
(si quidam vigit) nullatenus probamus; ita omninò repro-
bandus est earum contemptus, dolendumque profectò, quòd
etiam non pauci ex nostris, sinistris, prò dolor! Acatholico-
 rum

rum principiis imbuti, S. Sedis auctoritatem, ac potestatem, reclamantibus SS. Paginis (*Quidquid ligaveris in terris, erit ligatum & in cælis*) non sine scandalo contumacissimè vilipendere haud vereantur. Interim non diffitemur, usum excommunicationum in Ecclesia veteri fuisse rariorem: ubi verò Christianorum mores sequiori ævo usque in pejus ire, ac magis, magisque increfcere cœperunt morborum causæ, opus pariter fuit, ut augetur simul medicinalis correctio. Invasiones, & oppressiones Laicorum erga Clerum, ejusque bona aliter, quàm saluberrimo hoc fulmine, deficiente brachio sæculari, sæpè, compesci non poterant. Idcirco indulgendum omninò, situm SS. Pontifices, cùm etiam Episcopi sua defenderint juxta monitum Apostoli 1. Corinth. 5. vers. 13. *Auferte malum ex vobis ipsis.* Vid. pluribus Claud. Flery in *Instit. juris Eccl. part. 3. c. 20.* Est quippe excommunicationis gladius, ut loquitur Concil. Trid. *Sess. 25. de Reform. cap. 3.* nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valdè salutaris. Sed ista irrident A catholici. At caveant, rogo, ne & alii rideant in eorum interitu.

§. IV.

De Legibus Bajuvariorum.

21 **B**Ajuvariorum nomen inter antiquos Germaniæ populos fuisse clarissimum, testatur Hertius *Not. vet. Germ. part. 3. cap. 2. §. 4.* Hos in prælio ad Tolbiacum amisisse Regem superiùs (*hæc Sect. §. 2. Resl. 1.*) audivimus, idque confirmat Aventinus *rer. Boicar. Lib. 3.* ubi foedus cum Francis hisce conditionibus initum narrat. *Boji de corpore suo, ubi opus fuerit, Principem legant; at Ducem, non Regem appellant, Reges Francorum auctores fiant. In bellis auxilio Francis sint Boji, eosdem pro amicis, & hostibus habeant, ceterum suis institutis, ac moribus liberè vivant.* Addit: *Amicitia Bojorum bona, atque honesta Francis permansit; adè ut post hoc Francorum Reges nihil penitus quicquam præclari, sine ope Bojorum, neque in rebus bellicis, ac domesticis, neque in divinis, atque humanis unquam gesserint; quemadmodum res ipsa indicabit; & Hatto, Archi-*
sta

flamen Moguntinus, ad Joannem LX. Pontificem Maximum scribit. Paruit itaque Bojorum Gens sive sponte, ut contendit Brunner. *Lib. 4. Boic.* (qui constanter negans, Bojos in illo prælio contra Clodovæum pugnâsse, vel in ejus potestatem venisse, scribit; Eos (Bojos) victoriam Franciæ armorum admiratione, vel eorundem, cum proximus arderet paries, prudenti metu post Theodorici Gothi mortem rebus suis voluntaria deditioe consultum ivisse, cumque in Theodorici successibus nihil spei esset, maluisse orientem fortunæ Franciæ Solem, quàm Gothicum, jam in occasum vergentem adorare; præsertim cum haud quaquam inquieturi Franci viderentur, quamdiu superesset, quod vincerent, facilè inventâ causâ, quæ bellum amantibus semper est obvia) Sive, ut alii cum Aventin. 3. *Boicor.* volunt, coactè Francis; sed majori libertate, & cum potestate sibi eligendi Duces: Et hinc ad saniolem Christianismi doctrinam conversa leges habere, atque à Dagoberto ad exemplum Ripuariorum, & Alemanorum renovatas, & auctas observare incepit. Quod præcipuè spectat Decretum Tassilonis sic sonans: „Regnante in perpetuum Domino nostro JESU Christo, in anno verò XXII. „regni religiosissimi Ducis Tassilonis gentis Bojoariorum, sub „die consulum, quod erat II Idib. Octobr. atque anno ab Incarnatione Dominica DCCLXII. indict. X. divinâ præfatus „inspiratione, ut omne regni sui prænotatus Princeps collegium procerum coadunaret, in villam publicam Dingolvingam nuncupatam, ut ibidem tam regulare ordinaret in fati- „cto habitu coenobium virorum, & puellarum, quàm Episcopales moderaretur obsequias; insuper gentis suæ institutiones „legum per primates imperii, universâ consentiente multitudine, quæ reperit diuturnitate vitata, & quæ videbantur, abstrahenda evelleret, & quæ decretis placerent componenda, institueret. „ Parùm Bajuvariorum Leges à reliquis Germanarum Nationum institutis differunt. Notatu dignum est, quòd Lege Bojariorum testes per utramque aurem tracti fuerint. *Titul. 15. cap. 2. §. 1. Tit. 16. cap. 2.* Hujus rei meminit etiam *Hundius Metrop. Salisb. Tom. 3. pag. 322.* Ubi in Judicio quodam coram

ram Arnone Archi-Episcopo, Missisque Dominicis circa quamdam hæreditatis portionem, quam defunctus pro remedio animæ suæ reliquerat, & alius detinebat, instituto post reliqua de examine testium sic refert: *Et ita finita est contentio coram residentibus, & adstantibus multis: TESTES USU BOJOARIORUM PER AURES EX UTRIUSQUE PARTIBUS TRACTI, UT AMPLIUS EXAMEN FIRMUM ESSET.* Id quod & apud Francos, teste Hertio *Not. Regn. Franc. cap. 5. §. 44.* receptum legitur. Vix hærendum, huic mori Jus Rom. dedisse occasionem, ubi, attactâ molliter testium auriculâ, sequebatur in jus vocatio, etiam quandoque violenta; vid. Illustr. noster Fr. Jos. de Herzp. m. *Mag. Rom. Germ. Lib. 1. cap. 4. §. 2. num. 15.* Laborant æquè magnâ lenitate in puniendo homicidio. Multa quoque tam ex Jure Civili Romano, nempe Codice Theodosiano, quàm etiâ ex SS. Canonibus, sive legum Authores, sive Emendatores tum publica auctoritate, cùm etiam privato studio invexerunt. Laudari insuper merentur leges Bajuvariorum propter singularem in multis casibus æquitatem, cùm in commendanda iudicibus justitia, tum in exhibenda peregrinis humanitate. Porrò de iudicibus *tit. 2. cap. 17.* hæc commendantur: *Judex talis ordinetur, qui veritatem secundum hoc edictum judicet. Non sit personarum acceptor, neque cupidus pecunie. Perit lex cupiditatis amore. Præmia, & dona legibus vires tulerunt. Impunita manet male vivendi licentia. Propterea talis constituatur Judex, qui plus diligat justitiam, quàm pecuniam.* Circa successionem varia disponit, & inter alia notandum, voluisse Bojos ex jure scripto judicia institui. Ita *tit. 2. cap. 15. l. 1.* „ Comes verò secum habeat judicem, qui ibi constitutus est judicare, & librum legis, ut semper rectum judicium judicet, de omni causa, quæ componenda est. „

I. Reflexio Hist.

- 22 Bajuvariorum, seu Bojorum Origo æquè est incerta, atque incertum, quænam fuerit Natio. Nam fuisse quosdam Bojos ex Gallia, tradit ex Valesio Hertius *Not. Vet. Germ. Part. 3. cap. 2. §. 2.* „ Nam Bojos (infat Vales.) „ Gallos, qui in agrum „ No-

„Noricum transierant, Noricamque oppugnarent, reversos
 „in Galliam, & unà cum Helvetiis victos esse à Julio Cæsare,
 „eorumque reliquias permissu victoris in Æudorum finibus col-
 „locatas legimus, quorum Plinius, aliisque meminerunt. Et in
 „oëtava regione Italiæ, nimirum in provincia Flaminia circa
 „; Rubiconem fluvium interiisse Bojos, Gentem Galliæ maxi-
 „mam, quorum tribus CXXII. fuerint, auctor est Cato: quos
 „Strabo à Romanis Italiæ finibus expulsos, circa Danubium in
 „regione Tauriscorum ad Illyricum pertinente confedisse, ait,
 „ibique bellum adversus Dacos, Critasiro Duce, gerentes, fun-
 „ditus excisos esse, & unà cum Tauriscis, à Bærebista Geta de-
 „letos. Bojos autem eos, qui ex Gallia in Germaniam se effu-
 „derant, ac Bojohæmo nomen suum dederant; his sedibus à
 „Marcomannis pulsos, Cornelius Tacitus scripsit, quod non
 „ætate Tarquinii Prisci, sed sub Augusti principatu, Maraboduo
 „Duce, contigisse, nemo nescit. Quas in sedes, pergit, Boji
 „isti migraverint, nemo scit. Rursus ibid. Fuère & Boji ex ea-
 „dem Gente Gallica in Pannonia Superiore, Plinio, & Ptole-
 „mæo noti: à quibus deserta Bojorum cognominabantur. Ve-
 „rùm jam dudum memoria eorum interierat, quum Bajoarii
 „Noricum occupaverunt. Non ergo Boji è Bojæmo Germa-
 „niæ, incinctisve Hercyniâ Silvâ campis in Italiam transiére.:
 „quos ex Gallia unà cum Lingonibus finitima Gente Alpestran-
 „sisse, ac Etruscos, Umbrósque pepulisse Livius docet. Nec
 „qui in Italia confederant Boji, ex Tauriscorum regione in Ger-
 „maniam redire potuère: si (quemadmodum ait Strabo) unà
 „cùm ipsis Tauriscis à Dacis deleti erant., Addatur Werlhoff.
 „Not. Imp. Lib. 1. cap. 2. §. 14. lit. d. Tandem ex his, & post alia
 „ita concludit Hertius. Utut autem hæc ita verè dicantur, tamen
 „veri fit admodum simile, populos Germaniæ è locis, ubi quon-
 „dam Boji habitârunt, digressos nomen inde secum attulisse, &
 „Bojovarios, sive Bajoarios significare è Bojæmo oriundos. Un-
 „de prosequitur §. 4. Bojovarios hosce Germaniæ gentem fuisse,
 „multa persuadent, in primis nomina Ducum merè germanica,
 „Gabribaldus, Theodo, Theobaldus, Grimoaldus, Hubertus.

Accedit, quod Warnefridus Bajoarios, & Saxones ejusdem linguarum homines appellet.

II. Reflexio Hist.

23. Si curiosior roges, quo tempore Bojoarii in regionem, quam incolunt, venerint? non nisi conjecturas aliorum referimus. Tradit Eugippius Abbas *cap. 45. libro de vita S. Severini*. Odoacris Italiae Regis fratrem Arnulphum Noricos Ripenses (qui ad dextram Danubii ripam positi ab Æno fluvio ad Pannoniam Superiorem se extendebant) Rugis ante subiectos, ne à Transdanubianis populis vexarentur, ex interiore Danubii ripa cum suis omnibus in Italiam transtulisse, eosque variis in regionibus collocasse. Quo factum videtur, ut circa Odoacris mortem Bojoarii Noricos agros vastatos, ac desertos, velut possessionem vacuum, invaderent, ac ibi considerent. Sanè ab eodem Eugippio, istorum temporum æquali, Norici, & Rhetiae ærummæ vix credibiles, quas vicini Barbari inferebant, narrantur. Videntur autem, ut rectè observavit laudatus Valesius, primam partem Norici tantum obtinuisse, cætera Theoderico Gothorum, ac Italorum Rege possidente: Nam apud Cassiodorum Senatorem *3. var. 50*. Rex provincialibus Noricis, velut sibi subiectis scribit. Verùm, Theodorico mortuò, non modò totum Noricum, sed etiam totam Vindeliciam, seu Rhetiam secundam inter Ænum, & Lycum positam, aut (ut quibusdam placet) à lacu Brigantino ad Ænum pertinentem, ubi Brenni præter cæteros, vulgò Briones dicti, habitabant, Bojoarii occuparunt. Hinc Paulus Warnefridus *Lib. 3. de gest. Longobard. cap. 29*. scribit: *Noricorum provinciam, quam Bojoariorum populus inhabitat, habere ab Oriente Pannoniam; ab Occidente Suaviam; à Meridie Italiam: ab Aquilone verò parte Danubii fluente*. Walafridus quoque Strabo Noricam regionem esse Bojoariorum dicit. Ex quibus liquet, hodiernos Bavariae limites, ut scribit Hertius, ab antiquis multum esse diversos: nam hodie in Occidentali ejus parte, quæ ab Oeno ad Lycum amnem por-
- rigitur

rigitur, conquiescit Bavariz nomen; utpote Isera flumine in Superiorem, inferiorémque distinctæ Regiones.

III. Reflexio Critica.

Acuit hic rursus more suo calamum Hoffmann *sepè allegat. 24 period. Sect. 4.* conspirasse nimirum, ait, in harum legum confectioe Clericorum consilia ineptis sacrarum Scripturarum allegationibus. Exempla adducit ex *Legis tit. 12.* Agitur ibi de Sanctimonialibus tanquam Christi sponsis raptis à malo homine, qui ex provincia est ejiciendus, dicente Apostolo: *Aufer te malum à vobismet ipsis; & iterum, tradite hujusmodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus sit in die Domini: Loca Apostoli non adducit; sunt autem 1. Corinth. 5. vers. 5. & ult.* Et profectò quid consultius, quàm hædos separare ab ovibus? *An nescitis (exclamat idem Apostolus ibid. v. 6.) quia modicum fermentum totam massam corrumpit: Scripsi vobis in Epistola, pergit cap. 9. Ne commisceamini fornicariis.* Reprehendit utique *tot. hoc capite* Corinthios, quòd in incestu publicè viventem tolerarent. An non repetit, & inculcat ad *Galat. 5. v. 9. Modicum fermentum totam massam corrumpit?* Quid, amabo! hic applicatur ineptè? Affert aliud *titul. 14. cap. 8. l. 2.* Excluduntur à Successione liberi ex ancilla nati, si concurrant cum filiis ex libera muliere ortis, annexâ ratione: quia in veteri Lege ad *Gal. 4. v. 3.* scriptum legitur: *Non erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ.* Et hoc inculcat Paulus ex *Lib. Gen. 21. vers. 10. Ejice ancillam, & filium ejus: Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Et quænam rursus inepta applicatio, si Germanorum leges Divinas (esto fortè tantùm judiciales, seu cæremoniales, modò non mortiferas) imitentur? Num iniquum, seu ineptum dices, si filius liberæ præferatur filio ancillæ? si hoc? Dei legem iniquitatis arguis: Tertium denique *tit. 8. cap. 17. l. 2.* Neminem damnes, antequàm inquiras veritatem. Et hoc, inquit Hoffmann. deducitur ex illo: *Omnia probate, quod bonum est, retinete, 1. Thes. 5.* Sensus hujus textus *v. 21.* haud dubiè amphibologicus est, ita ut dubitari possit, utrùm ad id, quod L. Bojoarica intendit, trahi possit. Interim tamen

Hoffmanno vix erit donum interpretandi SS. Literarum contenta indultum. Nec desunt in hoc textu, quæ hanc interpretationem non respuunt, sic v. 12. *Rogamus autem vos fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos. vers. 14. Rogamus autem, fratres, corripite inquietos. vers. 15. Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat.* Hæc omnia videntur eò tendere, ut in veritatem inquiratur, & quæ probanda: probentur. Cæterùm Hoffmannus noster longè ineptiùs probare conatur, excusari posse leges Germanicas, quæ pro homicidio tantùm poenam dictabant pecuniariam, Sapiunt insuper, pergit *ibid.* ambitionem personarum Ecclesiasticarum, quòd Laicis persuaserint, homicidam necessariò capite esse puniendum, & hoc colore omne aggratiandi jus Principibus Laicis ademerint: atque è contrario poenis Ecclesiasticis citra capitale iudicium homicidii facinus lui posse statuerint. Innumera prostant documenta, ut ait, quæ hanc Clericorum sibi assertam dispensandi potestatem testantur. Vellem adduxisset tum unum, cùm alterum. Non enim sequitur: hoc vel illud in thesi jure Divino statutum legitur: ergo in nullo casu datur potestati sive Ecclesiasticæ, sive sæculari jus dispensandi, aut aggratiandi: Quàm absurda sit illatio, nemo nescit, nisi qui calumnias cumulare calumniis solitus est.

§. V.

De Legibus Saxonum.

25 **L**ongum nimis foret Saxonum Leges in SPECULI, ut vocant, volumen redactas discutere: Sermo hic, ceu aliàs, solùm est de Antiquioribus. Earum origo, num ad Carolum M. num verò ad antiquiora tempora referenda? incertum est. Illud verò dubiò caret, nobilissimam fuisse Saxones Germaniæ Gentem, &, uti Francorum armis æmulam, ita barbaram, & Christianæ religionis hostem infensissimam, à Carolo tamen M. devictam, ac prudentissimis Eiusdem consiliis ad aliam planè indolem reductam.

Lex

Lex, quæ Saxonum nomine inscribitur, brevissima quidem est (utimur penna Hoffmanni *Sect. 8. §. 3.*) & vix XVIII. capitulis constans ; in multis cum Legibus reliquarum nationum germanicarum coincidit ; in quibusdam verò non nulla habet singularia. Homicidii pœna (non tamen sine personarum respectu vid. *Tit. 2. de occisionib.*) erat solutio Werengeldi (vox medio ævo cognita denotans pretium pro homine occiso solvendum. Schilt. *Exercit. ad ff. 19. §. 15. & seqq.*) Uxores emebantur, & sub tutela erant. Vid. de hac latius cit. Auctor *exercit. 37. §. 222. & seqq.* Hæreditas filio, non filię relinquebatur : nec alteri, nisi Ecclesiæ, vel Regi eam tradere erat permissum : Furtum capitali pœnâ mulctabant, ut inde nonnullis lex Saxonum *crudelissima* & ita à WIPPONÉ appellata fuisse videatur. Reliqua non adedò sunt notatu digna. Huc quoque spectat Capitulatio Caroli M. de partibus Saxoniz, in qua (ut refert Hoffmann *ubi supra*) penè nihil, nisi leges Ecclesiasticæ in favorem Religionis, & Ecclesiarum, atque odium paganismi occurrit.

I. Reflex. Histor. Critic.

Estò veriùs videatur, Saxones ante Caroli M. tempora leges scriptas non habuisse, ut probat Conring. *de O. J. G. cap. 13.* vel si habebant, deperisse *arg.* eorum, quæ ex Meibom. habet Hoffm. *loc. cit. §. 1. lit. c.* negari tamen vix potest existisse varias consuetudines, ad quarum ductum vivebant Saxoniz populi. Quàm severa apud quosdam Saxones in foeminas adultèriò contaminatas animadversio usu fuerit recepta, superiùs (*Part. 1. Sect. 6. §. 2. num. 7.*) vidimus. Erat insuper, cum gens illa differentiis Nobilium, Liberorum, Libertorum, & Servorum constiterit, moribus statutum, ut nulla pars in computandis conjugis propriæ sortis terminos transferat, sed Nobilis nobilem ducat uxorem, & Liber liberam, Libertus jungatur libertæ, & Servus ancillæ. Si verò quisquam horum sibi non congruentem, & genere præstantiorem duxerit uxorem, cum vitæ suæ damno hoc facinus luere tenebatur.

II. Re-

II. Reflexio Hist. Critica.

27 Quod dictum de emptione uxorum, non solum de LL. Saxonum, sed & de aliorum antiquioris Germ. populorū sive statutis, sive moribus intelligendum est. Num autē hoc Taciti tempore (ut vult Heinec. *Elem. Jur. Ger. Lib. 1. Tit. 9. §. 188.* & quod spectare contendit verba jam alibi relata: *Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert: intersunt parentes, & propinqui, ac munera probant: In hac munera, pergit Tacitus de M. G. c. 18. Uxor accipitur*) obtinuerit, in medio relinquimus. Cæterum non aliter (scribit mem. Heinec.) differebant sponsalia, & nuptiz veterum Germanorum, ac emptio venditio, & traditio. In sponsalibus maritus offerebat dotem, in nuptiis tradebat: In illis sibi coëmebat uxorem, in his uxorem coëmptam à parentibus accipiebat. Erátque sponsalium tanta reverentia, ut etiam *Integra* alii nubere non licuerit; hinc, ut testatur Tacitus *cap. 19. cum spe votoque uxoris transigebatur*, ceu suprà meminimus. Idcirco aut. sponso nubendum, aut nulli. Hi mores patrii & posteris placuerunt. Nam & medio ævo Franci sponsalia celebrabant per emptionem venditionem, seu, uti in vetustis monumentis legimus, *PER SOLIDUM, ET DENARIUM*, quod dabatur parentibus, vel propinquis, sine quorum consensu sponsalia erant ipso jure nulla. Laud. Heinec. *ubi suprà §. 18.* Hinc Bertchramnus apud GREG. TURON. *Hist. Lib. IX. cap. XXXIII. Quia sine consilio parentum uxorem conjugio copulasti, non erit uxor tua.* Et tamen jam triginta annos cum Berchtramno vixerat mulier, quum marito hæc statūs quæstio moveretur. Ritus iste ex L. Salica emanasse dicitur. vid. Laud Auctor §. 181. Lex Saxonum *tit. 6. de conjugis*, ut refert Hoffmann *d. l. lit. b.* ita habet: *Uxorem ducturus CCC. solidos det parentibus ejus: si autem sine voluntate parentum, puellâ tamen consentiente, ducta fuerit, bis trecentos solidos parentibus ejus componat &c.*

III. Reflexio Critica.

28 Furto præfixam fuisse poenam capitalem, audivimus. Ita *Legis tit. 4. cap. 1. Qui caballum furaverit.* Et ita de reliquis usque ad

ad Leg. 6. qui in re qualicunque, vel interditi, vel nocti, trium solidorum pretium furto abstulerit, capite puniatur. At quid magis incongruum, ait Leibnitius Tom. 1. Rer. Brunsvic. quàm caballi furtum capite puniri, nobilissimi viri eadem verò pecuniâ lui? *Eant jam*, pergit, *viri docti, & veteres Germanorum leges, Romanis explosis, revocent: A FRUGE AD GLANDES REVERTANTUR.* Satis acutè! verè tamen, & meritò! Carpit quidem Leibnizium Hoffmannus *ubi supra §. 3. lit. F.* (neque clementius) aitque, mitius virum Illustrem de Legibus Saxonis sentire decuisse, si ipsi perpendere placuisset: Pœnas in crimina statuere, Majestatis esse; easque pro lubitu exasperare posse Majestatem, aut demittere: indicium verò magnæ prudentiæ, si utrumque justò tempore fiat: homicidii verò capitale pœnam non descendere ex Jure Naturæ, & si lege Divina capitale supplicium fuerit dictatum, certè intelligendum esse de proæretico homicidio (citatur hîc TITII jus privatum *Lib. 1. cap. 1. §. 15.* Ego ibi nil ad rem invenio) cujus non tam multa occurrunt exempla, quàm rigidiores credunt: hinc arbitrio Majestatis relinquendum esse, utrum pecuniariam, num capitale pœnam in homicidas voluerit statuere, aut crediderit, statuere esse necesse. Fortè frequentiora tunc temporis fuerunt furta, quàm homicidia, adeoque gravioribus pœnis supprimenda: obstabat etiam fortè, non tam benè de doloso occidentis animo constare, quàm de furti authore, cum ille conjecturis, hic ipsa re declaratur. Neque illud capere vult Hoffmannus, cur Illustris Auctor hîc ad Leges Romanorum provocaverit, comparando eas frugibus, Germanas verò glandibus. Dum utique (ut ait) Leibnizius non existimaverit, pœnam capitale in homicidas receptam fuisse in Germaniæ fora, suadente, & jubente jure Romano: nempe ea ipsis Germanis longè antè nota fuit, & rectius auctoritate personarum Ecclesiasticarum introducta, primùmque Canonibus recepta, & tandem per Carolinam Nemesis confirmata. Sed tantus est, concludit Hoffmannus, apud plurimos Juris Romani favor, ut ex eo omnia, quæ æquitatis speciem habent, mutuata fuisse iis videantur. Quid nos ad ista? Modò

paucissima! Inferiùs fortè plura: Interim, uti nobis indubium est, Leges Romanas in thesi, & si quædam demas, Germanicis longè esse hætenus, fuissèque olim præstantiores, ita non ignoramus, posse pro varietate circumstantiarum, atque minori, aut majori delictorum frequentia pœnam æquè minui, ac exasperari, ita quidem, ut etiam delicto leviori pœna gravior ob frequentiam, seu majorem subditorum ad similia propensionem dictare consultum sit. Id quod nec JCtissimus Leibnizius negabit, & fortè nobiscum dabit, potuisse (ita exigente nimirum omninò frequentia, ac in ejusmodi furta pruritu) capitis pœnam statui; hoc tamen, uti & nos, non capiet, quòd præstantissimæ inter omnes creaturæ ad imaginem Summi Creatoris formatæ cædes multatâ tantùm pecuniariâ fuerit coërcita. Prò quantum à Lege Divina *Exod. 21. v. 12. & 14.* (qualiscumque illa demum fuerit, sive naturalis, sive judicialis) recessus! Cæterùm circumspèctè, bonaque ratione fit provocatio ad LL. Romanas, quæ, ut vulgò notum, homicidio pœnam capitalem præfigunt. Porrò, si verùm, quòd hæc pœna, ut vult Hoffmann, cunabula sua Juri Ecclesiastico debeat, nondùm tamen res confecta erit, utrùm hi Canones non ducant suam originem à SS. Paginis, vel etiam à jurisprudentia Romana. Sanè vix incicias iri potest, imò ipse Hoffmann. in decursu sui Speciminis passim fatetur, Legibus Germanicis plurima ex jure Romano fuisse imixta. Sed tantus est apud quosdam Juris Germanici (si quædam illibata fragmenta adsunt) favor, ut apertis oculis coecutire, quàm Juri Rom. debitam laudem indulgere malint.

SECTIO QUARTA.

De Legibus sub statu Carolingorum, aliorum Imp. & Regum.

NON potuère, mutatis per Invictissimi Caroli M. Majestatem, potentiam, ac virtutem Germanorum rebûs, etiam non mutari eorum Leges, atque in meliorem formam redigi. Gloriosissimus igitur hic Imperator, uti armorum glo-

gloriâ insignis, ita bonarum literarum amore clarus, nec non magnâ regnandi prudentiâ pollens, devictarum gentium consuetudines, & leges in scripturam redigi fecit, novas verò *Frisorum, Thuringorum, Saxonumque genti* dedisse, & ad aliorum populorum leges addidisse fertur. De his, & aliis paucissima.

§. I.

*De Legibus, Capitularibus Ecclesiasticis, & Civilibus
Caroli Magni.*

AD species vix est nobis hîc progrediendi campus. Generaliter verò ita narrat Eginhart in vita Caroli: *Post susceptum imperiale nomen, cum adverteret, multa legibus populi sui deesse, (nam Franci duas habent leges plurimis in locis valdè diversas) cogitavit, quæ deerant addere, & discrepantia unire, prava quoque, ac perperam prolata corrigere. Sed de his nihil aliud ab eo factum est, quàm quòd pauca capitula, & ea imperfecta, Legibus addidit: omnium tamen Nationum (leges) quæ sub ejus dominio erant, describere, ac literis mandari jussit: Conferat. Poëta Arnolpho Imperatori coævus in vita Caroli Magni apud REINECCIUM, nec non LEIBNITIIUM Script. Brunf. Tom. 1. pag. 168.*

*In quibus antiquas leges correxit, in ipsis
Uniri mandans, dissona, quæ fuerant.
Addidit bis etiam, quæ congrua duxit.
Pauca quidem numero, sed valde utilia.
Cunctorumque sui regni leges populorum
Collegit, plures inde libros faciens.*

Instituit præterea laudatissimus Imperator multa egregiè: quæ imprimis è Capitularibus videri possunt: Ita verò *CAPITULARIA* à distinctione in *CAPITULA* appellata fuerunt, & postea Leges denotarunt. Constituebantur in præsentia Episcoporum, Abbatum, Ducum, & Comitum, idque consensu populi, cui prælegebantur, subscribentibus Proceribus. Aliquando ex Canonibus Conciliorum, & Synodorum Episcopaliū

colligebantur, ita, ut *Antonius AUGUSTINUS* non sine fundamento credat, multa, imò plurima Capitularia ex Conciliis desumpta, eaque esse fundamentum Capitularium. Eorum, executio Episcopis, Comitibus, & Missis Regiis, qui ea in suis comitatibus, ac provinciis promulgarent, committebatur, ut refert Baluzius in præfat. ad Capitul. §. 15. Porro Capitularia, & Capitula idem significare notat idē Baluz. apud Hert. *Not. Regn. Fr. cap. 5. §. 7.* nisi quòd Capitularia de rebus Ecclesiasticis, Capitula de sæcularibus magis usurparentur. Quoad res sæculares condebantur ista Capitula in Consultationibus, seu publicis conventibus. Postquam lecta erant, & approbata, sequebatur subscriptio: Ita Capitular. III. de An. 803. c. 19. *Ut populus interrogetur de Capitulis, quæ in lege noviter addita sunt. Et postquam omnes consenserint, subscriptiones, & manuum firmationes in ipsis Capitulis faciant.* Quoad res spirituales fiebant Consultationes, & Capitularia in Synodis, convocatis potissimum Episcopis, Abbatibus, aliisque, penès quos Ecclesiarum residebat gubernatio. Inde patet, finem Consultationum, seu Conventuum, ubi condebantur hæc Capitularia, fuisse, ut mala & defectus, quibus Reipublicæ status laborabat, emendarentur, & corrigerentur. Nec dubium est, fuisse etiam Synodos, accedente Authoritate Regia, seu Imperatoria, congregatas, & confirmatas: Prius constat potissimum ex ipsis Synodis præsertim Aurelianensi V. in cujus præfatione legitur, Childebertum Regem in Aurelianensi urbe congregasse in unum omnes DOMINI Sacerdotes. Apud Gregorium Turonensem *Lib. 8. Hist. cap. 20.* notat Altesera An. 881. *Synodus Matisconensis congregata est jussu Guntchramni Regis. Ea etate pleraque Synodi Gallie Regum jussu, ac voluntate congregatae, & eorum sæpius confessu, præsentiaque cobonestatae.* Posterius de confirmatione Regia, seu Imperatoria satis luculenter ostendit. Synodus Francofurtensis *Can. 4.* Ibi: *STATUIT* Piissimus noster, consentiente sanctâ Synodâ. In *Can. VI. STATUTUM EST A DOMINO REGE & sancta Synodo.* In *Can. VII. IX. X. DEFINITUM EST ETIAM A DOMINO REGE, & sancta Synodo.* Sed longè antiquissimum testimonium est in epistola Epi-

Episcoporum ad Chlotovechum, sive Clodoveum, quæ Synodo Aurelianensi I. præfigitur: *Quia tanta ad religionis Catholica cultum gloriosæ fidei cura vos excitat, ut sacerdotalis mentis affectu Sacerdotes de rebus necessariis tractaturos in unum colligi jusseritis, secundum voluntatis vestræ consultationem, & titulos, quos dedistis, ea, quæ nobis visa sunt, respondimus, ita ut, si ea, quæ nos statuimus, ETIAM VESTRO RECTA ESSE JUDICIO COMPROBANTUR, tanti consensus Regis, ac Domini majori auctoritate servandam, tantorum firmam sententiam Sacerdotum. In Concilii Arelatensis de An. DCCCXIII calce legitur: Hæc igitur sub brevitate, quæ emendatione digna perspeximus, quam brevissimè adnotavimus, & Domino Imperatori presentanda decrevimus, poscentes ejus clementiam, ut si quid hic minus est, EJUS PRUDENTIA SUPPLEATUR; si quid secus, quàm se ratio habet, EJUS JUDICIO EMENDATUR.* Id ipsum eruitur ex Synodi Moguntinæ, quæ eodem anno celebrata est, præfatione. Ibi: *De his tamen omnibus valdè indigemus VESTRO ADJUTORIO, atque SANA DOCTRINA, quæ & nos jugiter ADMONEAT, atque clementer ERUDIAT, quatenus ea, quæ paucis subter perstrinximus capitulis, A VESTRA AUCTORITATE FIRMENTUR: si tamen vestra pietas ita dignum esse JUDICAVERIT; & quidquid in eis EMENDATIONE dignum reperitur, vestra magnifica Imperialis dignitas JUBEAT EMENDARE.* Vid. de his omnibus latissimè Hertius *Not. Reg. Franc. Vêt. c. 5. per tot.* cautè tamen legas; nec omnia præsertim, quæ Clerum tangunt, approbes, velim.

Reflexio Critico-Histor.

Nec magis hac in re fidendum Hoffmanno, *Period. 4. §. 2.* 2 ubi inhæsitanter scribit, Episcopos, imò & SS. Pontifices Caroli M. aliorumque ejus Successorum Capitulis fuisse subjectos, & ad observantiam obstrictos. Idque probare conatur *ex can. 9. dist. 10. Nec non can. 41. caus. 2. q. 7.* Verùm hanc opinionem, jam in nostra *Diff. Acad. ad Pand. Lib. 5. tit. 1. Sect. 2. §. 1.* profligavimus, ostendimusque, Immunitatem Clericorum (& utique multò magis SS. Pontificum) esse jure Divino tum vet.

cùm novo stabilitam : hinc non vacat huic materiæ diutiùs immorari. Textus mox adducti nullatenùs, ut sibi vanè imaginatur Auctor, nobis sunt *molestissimi*. Non primus ; cùm juxta multos cubet in mendo : ita ut legendum sit locò *vestrorumque* : **NOSTRORUMQUE** prædecessorum ; vel addenda particula **ET prædecessorum**. Accedit, quòd hic textus non concernat ipsos Pontifices , sed ipsum populum Rom. ut colligitur ex *can. fin. d. dist. 10*. Non alter, quia S. Pontifex non dicit velle iudicio Imp. *emendari*, sed se velle **EMENDARE** : Et quidem ex *liberè*, non *necessariè* recepto arbitrio ; juxta quam interpretationem omnes ejusmodi textus sunt intelligendi. Vid. insuper Gratianus *ibid.* Sanè longè aliter, sanctiùsque sensère Impp. relati *in c. 5. caus. 11. q. 1.* longè veriùs, & magnificentiùs locutus est pientiss. Imp. Constantinus *in can. 41. d. caus. 5. q.* longè aliter statuit Fridericus *in auth. Cassa. C. de SS. EE.* Item *Auth. Statutus. de Episc. & Cler.* Plures adhuc ejusmodi flosculos contra statum Clericalem impudentissimè in cit. Periodò spargit Hoffmann. At eidem non irascimur (nec enim esset operæ pretium) sed ad exemplum DOMINI condolentes ignoscimus : sunt nempe ejusmodi homines commiseratione digni : **NON ENIM SCIUNT, QUID FACIUNT.** Sed quid ad Synodorum factas confirmationes, quas ipsi nos inficias ire non possumus ? Prudentissimè id factum credimus ; sed non titulo cujusdam subjectionis ; sed ut magis exinde eluceret concordia utriusque potestatis, firmareturque authoritas ; maximè verò ut Synodales istæ Constitutiones, seu Capitularia sæculari brachio sustinerentur. Et sicut Regibus, ac Principibus Christianis, ut nemo negat, Ecclesiarum advocatia, & protectio incumbit ; ita justum, æquum, & consultum erit, si ejusmodi graviora negotia communi pertractentur consilio, roborenturque auctoritate. Et tantùm damus opinioni adversæ, nec quidquam ultrà.

§. II.

De Legibus tempore Ludovici Pii.

PATRIS vestigia pressit Ludovicus Pius. In multis enim con-
 ventibus leges, quæ Civiles, quæ Ecclesiasticas, & novas
 tulit, & veteres emendavit. Auctor vitæ Ludovici Pii per
 P. Pithæum inter duodecim Historiæ Francorum Scriptores edi-
 tæ, qui in aula illius Cæsaris vixit, narrans gesta anni DCCCXVII.
 ita scribit: „ Quo peractô negotiô, Imperator generalem habuit
 „ conventum Aquisgrani, in quo, quantum fervoris circa divi-
 „ num cultum in arca pectoris gestaret, toto adnifu declaravit.
 „ Congregatis enim Episcopis, nobilissimoque sanctæ Ecclesiæ
 „ Clero, fecit componi, ordinarique librum canonicæ vitæ nor-
 „ mam gestantem, in quo totius illius ordinis perfectio conti-
 „ netur, sicut reclusus ipse fatetur. In quo etiam inseri jussit ci-
 „ bi, potûsque, atque omnium necessariorum summam, ut
 „ omnes tam Viri, quàm Sanctimoniales, sub hoc ordine Chri-
 „ sto servientes, nullis præpediti necessitatibus, liberâ servitute
 „ Domino omnium militare meminissent. Quem librum per
 „ omnes civitates, & monasteria Canonici Ordinis sui imperii
 „ misit per manus Missorum prudentium, qui illum in omnibus
 „ supradictis locis transcribi facerent, debitæque, atque conscri-
 „ pta exigent stipendia ministrari. Quæ res magnum Eccle-
 „ siæ contribuit exultationis tripudium, & piissimo Imperatori
 „ debita cum laude immortalè monumentum. Itidémque con-
 „ stituit idem DEO amabilis Imperator Benedictum Abbatem,
 „ & cum eo Monachos strenuæ vitæ per omnia, qui per omnia
 „ monasteria Monachorum euntes, redeuntésque, uniformem
 „ traderent cunctis monasteriis, tam Viris, quàm sanctimonia-
 „ libus foeminis, vivendi secundùm regulam sancti Benedicti in-
 „ mutabilem morem. Considerans etiam idem piissimus Im-
 „ perator, non debere Christi ministros obnoxios esse humanæ
 „ servituti, sed & multorum avaritiam abuti ministeriô Eccle-
 „ siasticô ad proprium quæstum, statuit, ut quicumque ex ser-
 „ vili

„vili conditione, conciliante scientiâ, & morum probitate, ad
 „ministerium altaris asciscerentur, primùm manumittantur à
 „propriis dominis, vel privatis, vel Ecclesiasticis, & tunc de-
 „mum gradibùs altaris induantur. Volens etiam unamquam-
 „que Ecclesiam habere proprios sumptus, ne per ejusmodi
 „inopiam cultus Divini negligerentur, inseruit prædicto edicto,
 „ut super singulas Ecclesias manus tribueretur unus cum pen-
 „satione legitima, & servo, atque ancilla. Hæc erat sancti Im-
 „peratoris exercitatio, hic quotidianus ludus, hæc palæstrica
 „agonia, spectante DEO, quo ejus vita in sancta doctrina, &
 „operatione clariùs eniteret: qui in pomparum sublimitate,
 „constitutus, imitando Christum humilitate altiùs eminebat.
 „Denique tunc cœperunt deponi ab Episcopis, & Clericis cin-
 „gula balteis aureis, & gemmeis cultris onerata, exquisitæque
 „vestes, sed & calcaria talos onerantia relinquere. Monstro enim
 „simile ducebatur, si Ecclesiasticæ familiæ deputatus, conare-
 „tur aspirare ad sæcularis gloriæ ornamenta. Ita refert Con-
 „ring. de O. J. Ger. cap. 15.

Pientiss. hic Imperator in suis Capitularibus varia de offi-
 ciis Missorum, de exactiōe teloniorum, jure patronatûs pri-
 vatis competente, de præscriptione bonorum ab Ecclesia per
 XXX. annos possessorum, de poenis nonnullorum criminum,
 de examine aquæ frigidæ interdicto, de usu pœnitentiæ publi-
 cæ statuit: Mendicatum ire severissimè erat prohibitum. Ut
 verò ab oblivione, & interitu hætenus publicata Capitularia
 vindicarentur, *ANSEGISUS Abbas Fontanellensis*, uti videtur
BALUZIO, collegit ea in quatuor libros, quorum duo prio-
 res Leges Ecclesiasticas, posteriores mundanas constitutiones
 continent. Eum Codicem publicam postea accepisse *authorita-*
tem ex Ludovici Pii citationibus, quæ etiam in Caroli Calvi
 capitularibus occurrunt, constat. Hæc ferè Hoffmann ubi su-
 præ §. 5. & 6. Hanc collectionem supplevit Benedictus Levita,
 Diaconus Moguntinensis.

I. Reflexio Histor. Critic.

4. Carpit has compilationes rursus Hoffmann *d. l. §. 7.* nam
 in-

infit, sub Capitularium titulo obtrudebantur peregrina, & multum aliena, & ita miscebantur patriis juribus commenta Canonum, & somnia Paparum. Egregiè sanè, si Superis placet, mi Hoffmannè ! Ex decretis Rom. Pontificum, teste Baluzio, ex dictis sanctorum Patrum, ex Constitutionibus Synodalibus Episcoporum Gallicanorum, ex Codice Theodosiano, sive Aniani interpretationibus, Pauli sententiis, Juliani Antecessoris Novelis, Codice Legum Wisigothorum hæc Capitularia hausta, & immixta dicuntur. Et hæc Hoffmanno, sunt somnia ! nempe quia ita videtur Auctori !

II. Reflexio Historica.

Cùm, ut ex Historia abundè constat, divisio inter Ludovici Pii filios regionibus, & exinde ortis intestinis bellis, atque fratrum æmulationibus Majestas, & potentia Imperii notabiliter collapsa fuerit, magna etiam Legum strages, nec minor confusio, aut earum neglectus consequi debuit, hinc Germanarum Legum status aliam longè faciem obtinuit, ut dabit sequens

§. III.

De Legibus Germanorum post divisionem Imp. Francici.

TURBATÒ itaque rerum Francicarum statu, etiam Capitularia, præsertim post Ottonum tempora in desuetudinem abiè-
re : Publici Conventus aliis jam negotiis, maximè publicis, occupabantur, ita ut de legibus privatis parum aut nihil certi constet. Friderici II. temporibus originem Recessuum, adscribit Maurit. *de R. J. tb. 5. & Pffing. in vitr. illustr. lib. 1. tit. 2. §. 10.* Porrò in flebiliorem statum incidit Imperium nostrum, dum jus in manibus, id est, ubi jus, quod vocant Manuarium, in ejus viscera grassari coepit, nostramque Germaniam, usque ad Maximiliani I. ætatem pessimè afflixit. Finitò tandem Interregno, evectaque (ita volentibus Superis) ad regimen Augustiss. Domò Austriacà, mitiora fata Germania habuit, & consiliò, atque imperiò gloriosissimorum Imperatorum Austriacorum tam

B b

publi-

publicam, quàm privatam rem Germanorum efflorescere vidit. Et ita postmodum in Comitibus de legibus privatis cogitandi campus denuò apertus, quò spectant ordinationes Politicæ, Constitutiones criminales &c.

Reflexio Histor.

- 7 Legalem Germanicæ statum hætenus adèò depravatum, & undique confusum, ac planè collapsum erexit, & (quidquid multi ex innato vatiniiano erga SS. Canones, Jusque Justinianè odio contra ogganiant) in meliorem omninò formã redegit Jurisprudentia primò Canonica ex Gratiani Decreto, ac Gregor. IX. Decretalibus, nec non postea Civilis Justinianea, quæ, ut in Italia, ita & in Germania (qua occasione etiam alibi (*Proem. ad Institut. Append. 3.*) quædam memoravimus) evidenti sanè rei Literariæ emolumento Sæculo XIII. pedem fixit, & sicut hætenus, ita imposterum, faventibus Superis, floreat. Quod, ut benè eveniat, & ne Jura hætenus recepta adversantium molimine subvertantur, conatus conatibus, quantum in nobis est, & paucitas harum paginarum patietur, opponere juvat. Unde sequitur



BRE-



BREVIS DIGRESSIO
DE
UTILITATE, IMO NECESSITA-
TE JURIS JUSTINIANEI.

Quum videamus hodie non paucos, quorum doctrinam cæteroquin meritò veneramus, pro Germanorum usibus, & juribus (si quæ genuina, & uniformia sunt) ad eò esse animo præoccupatos, ut Jus Romanum (velut jam non sine multorum applausu, utinam non nimis intempestivo! Philosophiæ Aristotelicæ accidere videmus) vix, ac ne vix quidem locò, aut angulò quodam dignari velint, idcirco seu ex nimio novitatis amore, seu ex vana, si, quod est, edicere licet, sui ostentatione, seu etiam ex innato contradicendi pruritu, seu ex quadam zelotipia erga Jus Romano-Justinianicum, seu denique ex præconcepto nationalis juris studio è Republica omninò eliminare adnitantur, optimè factum credimus, si, ut animi adhuc indifferentes, nullisque præjudiciis affecti ab omni contra Jus nostrum sinistrè concepta idea præserventur, sintque, ut ajunt, quasi tabula rasa Juris Justiniani tum encomia, ac elogia, quibus à viris doctrinâ,

atque eruditione sanè præstantissimè condecoratur, cùm etiam ejus auctoritatem, utilitatem, imò potius necessitatem succinctè ob oculos ponere allaboremus: In hunc finem præmittitur

SECTIO PRIMA.

De Dignitate, Præstantia, Introductione, & Auctoritate Juris Romano-Justiniani.

UT facilius ad materiam principalem pateat ingressus, placuit, quædam præliminarium locò discutere ordine, qui sequitur.

§. I.

De Dignitate, seu Præstantia Juris Justiniani.

Profectò si dignitatem Juris Romani, quod Justinianicum vocamus, per partium enumerationem à prudentia J.C.^{rum} à sapientissimo consilio Imperatorum, à quibus emanavit, à cura, & sollicitudine eorum, à quibus compillatum est, ab ejus summa, quam præfert æquitate, ac denique à gravitate, & numero materiarum, de quibus tractat, commendare, ac metiri esset animus, infinitus propè sese exhiberet dilaudandi campus. Quoniam autem suscepta modò scribendi provincia hæc omnia minimè patitur, quænam nobis, auctoritate tamen gravissimorum Virorum suffultis, sedeat opinio, atque existimatio, brevissimè differemus. Hinc præprimis adoptamus meritò, nostrumque facimus quoad sequentia Programã Wittenbergen- se à Doctiss. Viro Christ. Thomasio in suo Eruditiss. Tract. *de Nev. Jurispr. Rom.* relatum, & ab eo refutatum: Quod sic sonat: *Quanto splendore Jus Romanum cetera Jura antecedit, quantusque prudentiæ longè, latèque diffuse apparatus in eo abstrusus sit, sine meo præconio unicuique notum erit, cui præcepta hujus juris seriò indagare, ac penetrare ad ejus adyta animus unquam, consiliumque fuit.* Perfe-
ctiss.

Ætissimam compagem prudentiæ totius orbis esse, omnes benigni censores verum, ac æstimatores æqui mecum fatebuntur. Quæcunque enim morationes populi sanxisse unquam sapienter, aut statuisse salubriter feruntur, hæc quasi in compendio oculis legentium se sistunt, unumquemque in stuporem, & summam admirationem rapiunt.

Nec ista sine ratione, quæ sanè maxima! Collectum quippe est, fatente ipso Thomasio, idque Livio, Dionysio Halicarnasseo, ac Pomponio testantibus, ut alibi (*In Diss. Acad. ad Lib. 1. Pand. tit. 2. de O. J.*) ostendimus, ex sapientissimorum Græcorum Legibus. Hi sunt fontes, ut ait Speckhan *Cent. Miscell. 3. c. 4. q. 13. & scaturigines uberrimæ. Quapropter, inquit Contius Lect. jur. c. 9. Factum, effectumque est, quin Jus Romanum OMNIBUS CUNCTORUM JURIBUS palmâ hætenus non præripuerit. Vid. Petr. Peck. ad cap. 28. de Reg. Jur. in 6. Ibi: Nec non in omnibus provinciis tam magnam obtinuerit auctoritatem, ut adhuc hodie OMNES ferè Europæ nationes illud CEU PALLADIUM COELITUS DEMISSUM adorent, atque venerentur. Vid. Arthurus Duck. de usu & Author. Jur. Rom. cap. 2. Et utut hæc loca Thomasio sint suspecta, alia tamen adducit ipsemet dignitati Juris nostri si non magis, certè æquè faventia: Et quidem ex Duckio *Lib. 1. cap. 2. §. 5. pag. 27. & 29. hæc excerptit: Libros nostros Justinianeos velut salvas ex magno naufragio tabulas religiosissimè semper colimus, quando NIHIL HODIE MELIUS HABEMUS, ad cujus exemplar nostras Respublicas instituamus, & gubernemus. Ant. Contius Lect. jur. cit cap. 9. Inter leges omnium gentium NULLA REPERITUR MAGIS JUSTA, ET RATIONI CONSENTANEA, quàm lex, quæ est IN LIBRIS JURIS ROMANI. L. Charondas respons. du droit. Franc. Lib. 3. resp. 81. LEGES ROMANORUM SUPERANT LEGES OMNIUM GENTIUM, quæ continent omnia præcepta de officiis civilibus, & judiciis. In quibus nihil, quod ad statum politiæ cujuscunque pertinet, desiderari possit. Guil. Terrienus du droit civil. de Normand. Lib. 1. cap. 3. &c. Ita justum, & æquum visum est omnibus Jus Romanum, ut, qui Romanis legibus non tenentur, illud tamen tanquam equitati naturali maximè consentaneum libenter sequantur, & suas leges per has in-**

terpretentur. Prælaud. Peckius ad c. 28. de R. J. in 6. *Jus Romanum est SUPRENUM, ET EMINENTISSIMUM, plenum humanitatis, equitatisque, tot jam annis unanimi consensu receptum. Dionys. Gothofredus in prax. rer. civil. l. 2. tit. 1. Jus Civile Romanum Legum sanctitate, & disciplinâ exterarum gentium omnium legibus, & institutis præponderat, omnique populorum jura, & mores in se comprehendit.*

- 3 Cùm tamen Thomasius hæc omnia alium in sensum satis frivole detorqueat, alia, quæ nullatenus ignorat, sed studio dissimulat, eidem, aliisque ejusdem indolis sociis ob oculos ponimus. Quænam illa? Sanè contrariantibus præsertim A Catholicis satis ponderosa! Audiant judicium magni Grotii (O quantum omnibus nomen!) Ait ille in Epistola ad Gallos 156. quam his verbis refert Strykius *In suo discurs. prælim. ad V. M. P. §. 42. Nihil esse nobili homine dignius, quam cognitionem Juris: primum quidem ejus, quod omnes homines hominibus, & gentes gentibus sociat; deinde verò patrii, cujus partem non exiguam facit Jus Romanum, à plerisque populis adoptatum, per se quoque SUPRA OMNIA CIVITATUM JURA DIGNISSIMUM NOSCI, ut quod PERFECTUM, excultumque sit experimentis tam magni, tamque diurni Imperii. Quicquid à Decemvirum tempore ad Justiniani usque tempora viri, maximo judicio, & sanctitate morum, & eruditione præditi ad firmandam illam civilem societatem reperire potuerunt, id omne in Digestis, deinde in Codice, & connexis ei libris continetur. Tam evidens denique est ejus Juris in plerisque partibus, iis maximè, quæ ad contractus, aut damnum injuriâ datum pertinent, æquitas, ut ad quos populos Romana arma pertingere nunquam potuerunt, ut in Poloniam, vicinasque Gentes, eò Leges Romanæ sine vi ulla, justitiæ suæ vi triumphantes pervenerint. Quid ultra? Audiant Magistri sui Martini Lutheri de Jurisprudencia Romana sententiam, quam more suo liberrimè exposuit Tom. 1. Jenens. ad Psal. 101. fol. 156. Das Kaiserl. Recht, nach welchem das Römische Reich noch heutiges Tages geregirt, und bis an den jüngsten Tag bleiben wird, ist ja nichts anders, denn Heydnische Weißheit, welches die Römer, ehe denn Rom von Christen, oder von Gott selber nichts gehöret hat, gesetzt und geordnet haben. Und ich achte wohl, wenn*

wenn jetzt alle Juristen in einen Kuchel gebachen, und alle Weis-
sen in einen Trank gebräuen würden, sie solten nicht allein die
Sachen, und Händel ungeschaffet lassen, sondern auch nicht so
wohl davon reden, noch denken können. Denn solche Leuthe ha-
ben sich in grossen Händeln müssen üben, und gar mancherley
Menschen Sinn lehren kennen, sind dazu mit hoher Vernunft,
und Verstandt begabt gewest. Summa, sie haben gelebt, und
werden nicht mehr leben, die solche Weisheit in weltlichem Re-
giment gehabt haben. Mirum, quod hic à Parente suo alias, ut
deprædicant, infalibili, adeò temerè recedant!

I. Reflexio Critica.

Non latent, quæ hic criminantur adversæ partis Fautores: 4
Arguunt imprimis imprudentiam Imp. Justiniani, ac si huic ope-
ri concinnando fuisset impar: Et licet, ajunt, dici non possit,
analphabeticus, & planè, ut quidam contendunt, literarum ru-
dis; fuit tamen superstitiosus, metaphysicus & eruditione so-
lùm repletus. Et hoc Adversariis nostris dixisse, sufficit; cùm
tamen asserenti incumbat probatio. Superstitiosum arguunt.
Sanè si veræ religionis cultus superstitio est, Imperator noster
superstitiosissimus haberi debet, utpote salvificæ fidei (saltem-
dum huic operi accingebatur, quidquid postea de hæresi Eu-
tichiana calumniosè eidem imputetur) cultor religiosissimus.
Conferamus ejus Præfationem I. *man de concept. Digest.* Hæc
ita habet. *Deo auctore nostrum gubernante Imperium, quod nobis à
cœlesti majestate traditum est, & bella feliciter peragimus, & pacem de-
coramus, & statum Reipublicæ sustentamus: & ita nostros animos ad
Dei OMNIPOTENTIS erigimus ADJUTORIUM; ut neque
ARMIS CONFIDAMUS, NEQUE NOSTRIS MILITIBUS,
NEQUE BELLORUM DUCIBUS, VEL NOSTRO INGE-
NIO, SED OMNEM SPEM AD SOLAM REFERAMUS
SUMMÆ PROVIDENTIAM TRINITATIS, unde & mun-
di totius elementa processerunt, & eorum dispositio in orbem terrarum
producta est. Pari confidentiâ prosequitur: Res quidem nobis diffi-
cillima, imò magis impossibilis videbatur; sed MANIBUS AD COE-
LUM*

LUM ERECTIS, ET ÆTERNO AUXILIO INVOCATO, eam quoque curam nostris reposuimus animis, Deo freti, qui & res penitus desperatas donare, & consummare suæ virtutis magnitudine potest. Hanc ita concludit: Hæc igitur omnia Deo placido facere tua prudentia (Tribonianum alloquitur) unà cum aliis facundissimis viris studeat, & tam subtili, quàm celerrimo fini tradere: ut Codex consummatus, & in quinquaginta Libros Digestus offeratur in maximam, & æternam rei memoriam, **DEIQUE OMNIPOTENTIS** prudentia argumentum, nostrique Imperii, vestrique ministerii gloriam.

5 Nec aliter inchoavit Præfationem II. dam de confir. Digest. Tanta circa nos divinæ humanitatis est providentia, ut semper æternis liberalitatibus nos sustentare dignetur. Post bella enim Parthica æternâ pace sopita, postque Vandalicam gentem ereptam, & Carthaginem, imò magis omnem Libyam Romano Imperio iterum sociatam: & Leges antiquas jam senio prægravatas, per nostram vigilantiam præbuit in novam pulchritudinem, & moderatum pervenire compendium. Paulò post: Nos itaque more solito ad immortalitatis respeximus præsidium, **ET SUMMO NUMINE INVOCATO, DEUM** auctorem, & totius operis præfulem fieri optavimus: Pergit §. I. Omnia igitur confecta sunt, **DOMINO ET DEO NOSTRO JESU CHRISTO** possibilitatem tam nobis, quàm nostris in hoc satellitibus præstante. Non minori ad **DEUM T. O. M.** fiducia, Divinque beneficii professione suam III. tiam præfationem de confirmat. Digest. ad Senat. dirigat his verbis: Dedit nobis Deus post pacem cum Persis initam, post Vandalicam trophæa, & totam Libyæ acquisitionem, postque nominatissimam Carthaginem nostro iterum Imperio sociatam, ut veterum legum renovationis opus ad optatum finem perduceremus: Quod procul dubio (pergit post pauca) Superioris Numinis, & fluentis inde benignitatis fuit, non humane cogitationis, aut incepti, aut potestatis. Nos itaque, more solito **MANIBUS AD DEUM ERECTIS,** eoque, ut nos complecti dignaretur, **INVOCATO,** & rem aggressi sumus, & omnia tandem confecimus, Triboniano **GLORIOSISSIMO** magistro, & exquæstore sacri nostri palatii, & exconsule, ad omne ministerium usi, nec non aliis quibusdam **ILLUSTRIBUS,** & **PRUDENTIBUS VIRIS,** inquirentes semper ea, quæ ab eis
com-

componebantur: & id, quod erat dubium, **PERSCRUTANTES;** omnibus quoque secundum datam nobis à Domino DEO, & Salvatore nostro **JESU CHRISTO SCIENTIAM, ET INTELLECTUS VIGOREM,** imponentes competentem formam.

Profectò manifestissima (quia ita placet Thomasio, & aliis 6 non melioris in Jurisprudenciam nostram, & Imp. Justinianum indolis) superstitionis indicia! Dicam meliùs, ejusmodi calumnias esse temeraria excæcatæ mentis judicia omni metaphysicâ, atque non tantùm scholasticâ, sed quacunquè sanâ eruditione, tantisque viris indignissima.

II. Reflexio Critica.

Partam hanc per compillationem Jurisprudenciæ Romano-Justinianæ gloriam vel maximè invident Triboniano, ut interrim nihil dicam de ejus sociis. Fatetur equidem Thomasio, ubi suprâ, in præfat. fuisse Tribonianum virum prudentissimum, vel potius (quid non extorquet livor!) astutissimus suorum temporum, nihilominùs tamen tanto operi non sufficientem, ut res ipsa ostendit, probâtque Hotomann in *Anti-Tribonan.* c. 11. pag. 55. & potiss. 59. Mira res! Diffiteri haud possunt, fuisse virum suorum temporum prudentissimum. Addunt: seu potius astutissimum. An maxima astutia non supponit æqualem prudentiam? vel an astutia prudentiæ quidquam demit? Addunt, insuper: suorum temporum. An ibi non aderant viri æquè prudentes, ac hodie? Imprudentissima sanè præsumptio nostrorum temporum hominum. Porrò, quot sunt hodie, qui se putant eruditos, modò integros Auctorum, seu Scriptorum, catalogos memoriâ complecti, & recitare valeant; quæsitiverò de eorum contentis, vix responsum dabunt. Multùm juvat Auctorum recentem habere memoriâ; sed sola non facit eruditum. Damus non fuisse fortè (si eruditionem spectamus) in tanta copia: vix tamen negari poterit, adfuisse quosdam: Et inter eos primatum habuit, fatentibus Adversariis, Tribonianus. Certè nobis majus est testimonium Justiniani, quàm cujuscunquè hodierni Juri quacunquè eruditione præditi. Ille

de proprio visu, auditu, & habita experientia testimonium exhibet. Ait enim in §. 3. præm. Instit. Cúmque hoc, Deo propitio, peractum est: Triboniano VIRO MAGNIFICO, magistro, & exquæstore sacri palatii nostri (& exconsule) nec non Theophilo, & Dorotheo, VIRIS ILLUSTRIBUS, antecessoribus (quorum omnium SOLERTIAM, ET LEGUM SCIENTIAM, & circa nostras jussiones FIDEM, jam EX MULTIS RERUM ARGUMENTIS accepimus) convocatis, mandavimus specialiter, ut ipsi nostra auctoritate, nostrisque suasionibus, Institutiones componerent. Hæc non minori elogio repetit §. 4. ibid. In quibus (Digestorum Libris) omne jus antiquum collectum est, quod per eundem virum excelsum Tribonianum: nec non cæteros viros ILLUSTRES, ET FACUNDISSIMOS confecimus: Simili elogiô illum alloquitur in superiùs alleg. præf. 1. ma ad Digest. §. 3. In verbis: Et ad tuæ sinceritatis optimum respeximus ministerium: tibi que primo, & hoc opus commissimus, INGENII TUI DOCUMENTIS, ex nostri Codicis ordinatione acceptis: Statim post: Ita tamen collectis, & in nostrum palatium introductis, nobisque tuo testimonio placitis, totam rem faciendam permisimus: ita tamen, ut TUI VIGILANTISSIMI ANIMI gubernatione res omnis celebretur. In Præf. II. pr. Et omne studium Triboniano, VIRO EXCELSO, magistro officiorum, & exquæstori sacri nostri palatii, & exconsuli credidimus, etque omne ministerium hujusmodi ordinationis imposuimus, ut ipse unâ cum aliis ILLUSTRIBUS, ET PRUDENTISSIMIS viris nostrum desiderium adimpleret: nostra quoque Majestas semper investigandò, & perscrutando ea; quæ ab his componebantur, quidquid dubium, & incertum inveniebatur, hoc Numine cœlesti erecta emendabat, & in competentem formam redigebat. Filium prosequitur §. 9. Ibi: Quæ omnia confecta sunt per virum EXCELSUM, nec non PRUDENTISSIMUM Magistrum, Exquæstorem, & Exconsulem Tribonianum, qui similiter ELOQUENTIÆ, ET LEGITIMÆ SCIENTIÆ artibus decoratus; & in ipsis rerum experimentis EMICUIT, nihilque majus, nec carius nostris unquam jussionibus duxit: nec non per alios viros MAGNIFICOS, ET STUDIOSSIMOS perfecta sunt. Virum EXCELLENTISSIMUM appellat in §. 17. d. l. Denique in §. 9. Præf. Tertiz ita

ita rursus dilaudat. *Quæ omnia composita sunt, & elaborata per-optimè, & ut nostra jussione dignum fuit, per Tribonianum ILLUSTRISSIMUM, nec non PRUDENTISSIMUM magistrum, & exquestorem nostrorum Palatiorum, & exconsulem, virum, & in ipsis rerum experimentis, & in eloquentia, & in legibus scribendis satis spectatum, & qui nihil unquam nostrarum jussionum contempsit.*

Jam ex his omnibus liceat uti argumentò, ut ajunt, ad hominem. Ponamus Augustissimum Imperatorem nostrum gloriosissimè modò regnantem virum quemdam (fingamus ipsum Thomasiùm, si viveret) selegisse, eúmque, commissâ curâ, ut vet. Germanorum Jurisprudentiam in ordinem redigeret, tantis honorum titulis maectâsse, quis, sodes! auderet ejus excellentiam in dubium vocare? vel quis omnia esse falsa, quæ sumus hîc Imperator, toto audiente, & spectante Imperio, testificatur, præsumeret, aut omninò crederet? Nonne ista ut invidentium somnia exploderentur? Pergamus ulterius: Qui Thomasi Manibus placeret, si post aliquot, quæ transiêre, sæcula, iste labor displiceret? (vix quippe omnia approbarentur) si per capillos traheretur in jus? Si Augustissimò testimoniò munitus, summæ argueretur ignorantix, ineptitudinis, atque sordidiæ? Nos indubiè talem Tribonianum, qualem Imperator describit (hominem tamen, ut infra patebit) fuisse credimus. Hinc impudentissima æquè, ac iniquissima, dicam meritò, scurrilis est Francisci Amelini Parisini censura, qua Justinianum, ejusque prudentes, & universa juris volumina atrocissimè, atque calumniosissimè perstringit. Vix non pudet ejus criminationes referre! Referantur tamen ad Auctoris ruborem, & ut scommata, quæ effutiit, ad fontem, unde emanârunt, per retorsionem redeant. „ Parva hujus casûs querela foret (inquit) *Restitutio. Lib. 1. tit. 2.* „ nî is deinde secutus esset Imperator, qui omnium, „ qui ad hanc diem fuerunt, mortalium nequissimus nomen sibi „ imposterum per nefas astruens, quando per fas non poterat, „ insigni imposturâ, omne jus subverteret, abolitîs, sublatisque „ de medio, qui extabant Juris Consultorum libris. Usus est „ ministris stultissimis hominibus, qui eo colore, quasi omnia, „ quæ

„quæ usquam egregia erant, in unum vblumen colligerent,
 „júsque, ubi animadverterent esse opus, emendarent. Productũ
 „est varium, & multiplex volumen, nullo ordine, nullã ratio-
 „nis constantiã, multum in his referendis, quæ inutilia, quæ-
 „que falsa sunt, in utilibus verò explicandis breve, atque con-
 „cisum, speciosum prudentum virorum ubique prælato nomi-
 „ne, ineptiis, quæ iisdem prudentibus viris adscribuntur, de-
 „lirum: denique aded multa absurda complexum, ita confu-
 „sum, ita obscurum, suppressis definitionibûs, divisionibûs, &
 „ipsismet legum verbis, ut facilè appareat, compillatores illos,
 „quò intelligentiores viderentur, & plura scire, multa corre-
 „xisse, multa commentos esse, multa, quæ à posterioribus con-
 „stituta erant, & ab iis ætatis professoribus tractata antiquio-
 „ribus, & Principibus, & Jurisperitis tribuisse: sed & cavisse,
 „ne prudentiores eis postea existerent, qui fraudem, & insci-
 „tiam eorum detegerent. Quin illi ipsi nos patãam derident; ;
 „cũ enim omnia oppositis scateant, scribunt nihil contrarium
 „esse in jure: callidi tamen qui vetent, in volumina sua Com-
 „mentarios scribi, ne longè aliter rem se habere patefieret; &
 „ut intenderetur ignorantia, quæ insulsa pro falsis, & incondita
 „pro conditis, ùt contingit, admitteret: quique præferant,
 „se habere libros peritorum juris, quò scilicet licentiũs autho-
 „ritate eorum abuterentur; Et certè si peritorum juris scripta
 „pura, & incorrupta mansissent, præ illis viluissent Impostorum
 „Principis Constitutiones, multa, eaque insulsa, nec non inter
 „se pugnancia effutire cupientis. Hæc calumnia se ipsam ju-
 „gulat, tot ferè mendaciis referta, quot verbis constans. Sanè
 „si calumniari laus est, hic Scriptor omni laude est major.

III. Reflexio Critica.

- 9 Carpit Thomasius Programã Wittenbergense, quò dicat
 ejus Auctor, Jus Romanum cætera jura antecedere, & ita con-
 fundat Jus Romanum, cum Jure Justiniano, cũ tamen diffe-
 rant, sicut totum & pars. Verũm cavillatio est. Auctor Pro-
 grammatis per Jus Romanum utique intelligit Jus in corpore
 juris

juris clausum, quòd non solùm Jus Justinianum, sed etiam responsa Prudentum: Edicta Prætorum, & aliorum Principum, seu Imp. Constitutiones complectitur, vocaturque vel Jus Romanum, vel Justinianum, cùm approbando omnia sua fecerit Justinianus. *L. 2. §. 10. C. de V. J. E.*

Cæterùm præfert Thomasius Juri Justiniano, seu Romano Jus Hebræorum, Jus Græcorum, Jus antiquorum Germanorum. Illud, quoniam à Deo ortum; istud, quoniam à prudentissimis Legislatoribus ad Statum Reipublicæ ex regulis prudentiæ Legislatoriæ accommodatum, & non contra regulas politicas ab aliis populis emendicatum fuit; hoc, quoniam subtilitates Juris Romani ad turbandam unionem populi Romani excogitatas ignorat, ac simplicitate pariter, ac æquitate sua jus Romanum multis modis superat.

Porro uti nos Juri Divino, seu Hebræorum palmam non ideo disputamus, ita pariter Jus Græcorum suis laudibus dignum existimamus: Interim nec Thomasius negabit, fontes Juris nostri videlicet LL. XII. Tab. (si duas demas) è prudentissimis Græcorum statutis emanasse; hinc è minùs putrefieri potuerunt, quò magis successu temporis per exquisitam sanè JC.^{um} prudentiam, atque æquanimitatem, nec non Imperatorum succedentium summam providentiam ab omni duritie, seu rigore fuerunt depurgati. In Laudes LL. XII. Tab. ire non vacat: Unum tantùm vel alterum testimonium afferre placet. Primum sit Ciceronis, qui Lib. 1. de orator. in persona Crassi totam Civilem prudentiam, descriptis omnibus civitatis utilitatibus, ac partibus, XII. Tab. contineri, asserit, moxque pergit: *Fremant omnes licet, dicam, quod sentio, bibliothecas me herculè omnium Philosophorum unus mihi videtur XII. Tabularum libellus, si quis legum fontes, & capita viderit, & authoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare: Alterum Taciti nostri III. Annal. 27. Ibi: Creati Decemviri, & accitis, quæ usquam egregia, compositæ XII. Tabulæ, finis æqui Juris. Nam secutæ leges, etsi aliquando in maleficos ex delicto, sæpius tamen diffensione ordinum, & adipiscendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliæque ob prava per vim late sunt.* Hoc intellige, sub statu populari.

II Quinam autem, & quanti fuerit, qui de jure responderunt, ringente Thomasio, palàm facit idem Cic. ubi suprâ his verbis: *Percipietis etiam illam cognitione juris letitiam, & voluptatem, quantum præstiterint nostri majores prudentiâ cæteris gentibus, tum facillimè intelligetis, si cum illorum Lycurgo, & Dracone, & Solone, nostras leges conferre volueritis. Incredibile est enim, quàm sit omne Jus Civile præter hoc nostrum inconditum, ac penè ridiculum, de quo multa soleo in sermonibus quotidianis dicere, cùm hominum nostrorum prudentiam cæteris hominibus, & maximè Græcis antepono.* Rifum teneatis, Amici! regeter Thomasi Advocatus. Ait Cicero, Decemviros anteponendos esse Soloni, Lycurgo &c. qui si absque Legibus Solonis fuissent, ne unam quidem Tabulam condere potuissent; Græcis anteponendos esse, qui absque Hermodori Græci hominis operâ non intelligebant leges Græcorum, & cui ferè unico, ut ostendimus, istum thesaurum omnis sapientiæ Romanæ debemus. Parcius ista in viros maximè insignes. Non ob defectum prudentiæ Legislatoriæ, sed ob exortam inter Patricios, & plebem æmulationem hoc contigisse, apud prudentiores in comperto est. Replicabis, ut suspicor, quid proderunt nostræ causæ hæc testimonia domestica? At satis insulsè! Ac si Thomasi, aliorumque sociorum pro præstantia Jurisprudentiæ Germanicæ non essent domestica? Numeremus, si ita placeat (vix autem placebit) eos, qui in Romanæ, & illos, qui in Germaniæ Jurisprudentiæ iverunt laudes, qui in hanc, & illam glossati, aut commentati sunt, & res inter nos erit confecta: Ex exteris pro jure Vet. Germanorum vix unum, aut alterum: Ex domesticis, præter Thomasium, ejusque Assceclas paucissimos, nisi Novatores, inveniemus. Numeram econtrâ, si potes, tum exteros, cùm domesticos, qui pro jure Romano laudabilissimè scripserunt, fortissimè, ac gloriosissimè dimicârunt, & hætenus nil nisi victoriæ trophæa, palmâsque reportârunt. Inter hos non est ultimus Joachim Hagenmajer *de auctorit. Jur. Civ. c.3.* ubi de Pandectis ita scribit: *Sequuntur Digesta, opus pretiosum, & thesaurus incomparabilis, quæ omnem propè Philosophiam, & receptas veterum Juris Consultorum sententias continent. Tanta in bis Latine dictio-*

*dictionis sinceritas, & elegantia, ut non facile aliquis affirmaverit; verim-
ne scientia, an orationis dignitas majori laude celebranda sit, adeoque bene
dictum à Politiano Lib. 10. Epist. ad Marq. Breisacium, totam penè vim
lingue Latine in legibus esse. Sed ista bilem excitant Thomasia-
nis, longè aliter sentientibus.*

IV. Reflexio Critica.

Navos Jurisprudentiæ non tot, quin plures inculant, re-12
censentque: Sunt autem (I.) Imperfectio, & ineptitudo Codicis
Justiniani. Fraudes, & ineptias intuitu Codicis Theodosiani sal-
tem à Compileribus Codicis Justiniani commissas refert Ja-
cob. Gottof. *in prolog. ad Cod. Theod. cap. 4. p. 191.* (II.) Excer-
ptio Pandectarum ex diversis, & dissentientibus JC.^{um} Respon-
sis; & exinde (III.) intermixtæ legum Antinomix (IV.) Mul-
titude Operariorum, horumque virorum imperfectio, quoad
eruditionem (V.) Corruptio Legum in Pandectis partim per
detractionem, partim per additionem juris novi. Scripsit de
hoc argumento Wissenbachius peculiarem tractatum, quem
inscripsit: *Emblemata Triboniani.* (VI.) Repetitio, & ge-
minatio eorundem verborum, rerum, legumque contra instru-
ctionem, quæ est *in §. 9. const. Deo Authore C. de V. J. E.* Excus-
sat quidem id Tribonianus *in §. 14. Constit. Tanta cod. d. t.* Sed ra-
tionibus insufficientibus, & falsis, (VII.) Defectus, & omis-
sio necessariarum, & potissimum doctrinarum in Institutio-
nibus, ut adeò falsò jactentur, esse totius legitimæ scientiæ pri-
ma Elementa: Itaque omnia divisio personarum in cives, & pe-
regrinos, materia dotium, pactorum, contractuum innomina-
torum, jurisdictionis, processûs &c. (VIII.) Narrationes ju-
ris antiquati, & antiquandi quandòque nimis proluxæ. (IX.)
Inepta methodus, & titulorum connexio. Hi itaque, ac mul-
ti alii defectus, quos recensere piget, nimisque longum foret,
nostram Jurisprudentiam si non omninò à sua sede dejiciunt,
saltem enormissimè deformant, atque deturpant. Quid nos
ad ista?

13 Fatemur, quod res est, suis non caret nãvis Jurisprudencia Justinianeã : Et uti quidam sunt culpã vacui, quidam etiam facilè excusari, aut explicari possunt ; ita non inficias eundem, quosdam esse crassiores, ut non omnem mereantur veniam... At qui aliter in tanta librorum, versuumque copia (erant quippe duo penè millia librorum, & plusquam trecenties decem millia versuum L. 2. §. 1. C. de V. J. E.) fieri potuit ? Idcirco nihil humani à se abesse lubens fatetur Imperator noster, dum in L. 2. §. 14. C. eod. disertis verbis ingenii, & memoriæ fragilitatem excusat. Si quis autem, ait, in tantã legum compositione, quæ ab immenso librorum numero collecta est, simile, forsitan rarò, inveniatur, nemo hoc vituperandum existimet : sed primum quidem **IMBECILLITATI HUMANÆ**, quæ naturaliter inest, hoc inscribat : quia omnium habere memoriã, & **PENITUS IN NULLO PECCARE, DIVINITATIS MAGIS, QUAM MORTALITATIS EST** : Id ipsum ferè repetit in L. 3. §. 13. C. eod. Ibi : Si quid autem ex multitudine ea, quæ nunc congesta est, & ex tantis myriadibus collecta, videbitur esse simile, & geminatum (hoc autem putamus rarum esse) attamen humane nature **IMBECILLITATEM** considerantibus, non extra justam apologiam ne hoc quidem videbitur esse : in nullo enim aberrare (seu in omnibus irreprehensibilem, seu inemendabilem esse) Divinæ utique solius, non autem mortalis est constantiæ (seu roboris) Nec aliter discurrit in cit. L. 2. §. 16. ubi ita habet : Sed si quid forsitan prætermissum est, quod in tantis millibus quasi in profundo positum latitabat, & cum idoneum fuerat poni, obscuritate involutum necessariò derelictum est : quis hoc reprehendere recto animo possit ? primò quidem propter ingenii mortalis exiguitatem : deinde propter ipsius rei vitium, quod multis inutilibus permixtum, nullam sui ad eruendum præbuit copiam : Caput oppignoro, si quid melius produxisset Thomasius cum omnibus suis Affectis. Et quid si circa modum quandoque erratum, num propterea debet tota substantia in se optimè constituta subverti ? sint geminatae leges, aut similes (quod rarò factum) quid tum ? homo non sit, oportet, qui nunquam labitur ! Verùm properandum nobis ulterius.

§. II.

De Introductione Juris Justiniani.

CUM tanta fuerit Juris Justiniani excellentia, quid mirum, ¹⁴ si etiam suos in Germaniam fecerit progressus? Postquam itaque neminem scimus, qui hoc in passu contrarium sentiat, paucis indagandum erit, quâ occasione hoc contigerit. Secutâ Anno 565. post annos ætatis 83. Imperii verò 38. Justiniani morte, successit Justinus Secundus ex Filia, vel, ut alii volunt, Sorore Nepos: ejus jus verò, paucis hinc inde, ac subinde mutatis, ut patet ex nov. 140. & 144. (quæ Justiniani sunt) usque ad An. circiter 1453. in Oriente observatum fuit. Successu postea temporis, vel ex invidia (ut dubie Justiniano gloria redderetur) vel defectu linguæ Latinæ, obsolevit ita, ut potius secundum Libros Basilicorum, quos Basilius Imperator, ut videre est in nov. Leonis 71. inchoavit, Leo verò Philosophus perfecit, & in lucem dedit, procederetur. In Occidente verò (si Exarchatum, qui Ravennæ erat, excipias; ibi quippe usque ad An. 752. viguisse, tradit Sigonius de Regno Italiæ Lib. 3. ad præfatum Ann. 752.) longè alia erat juris facies, ita ut paulò post medium sæculi sexti usque ad undecimum circiter, teste Mauritio de *Libb. Juris Com. §. 18.* vix de hujus juris usu reperiantur vestigia. Italia enim antiquis legibus regebatur: nec consultum fuisset Regioni debellatæ quidem, sed nondum pacatæ novas leges imponere. Ubi autem circa sæculum XII. Jus Justinianum per VI. sæcula sepultum felici fato, ut ait Illustr. Stryck. *ubi supra §. 16.* id est occasione illius voculæ *Asi* resuscitatum fuit, & ab Irnerio, aliis Guarnerio, seu Wernerio, cæterisque JC.tis Bononiensibus interpretari coepit, fieri haud poterat, ne ob suam excellentiam ulterius sese commendaret, & prodeuntibus ex schola Irnerii pluribus diversarum Nationum discipulis, magis, magisque ejus fama augetur, publicæque existimatione donaretur, ut probat Strauch. *Diff. Irnerius non errans.*

15 Hâc viâ coeperunt florere Leges Justinianæ in Italia: Nec hîc pedem fixerunt, sed tractu quodam temporis, videlicet *Sæculo 13.* post SS. Canones gressus ulterius moverunt: & quidem eò facilius admixtæ, quia non omnes casus prisco Germanorum jure decisi, quos tamen jus Romanum accuratè enodaverat, advertebantur. Patet etiam ex dictis superius, quòd Germanorum leges fuerint vel exoticæ, vel nimiùm ad casus patticulares, qui rarissimè poterant contingere, restrictæ: Cæteroquin etiam in dictandis pœnis vel lenitatem, vel rigorem sine delectu nimiùm affectaverint, cùm econtrâ jus Romanum vix non per omnia in naturalis æquitatis principiis fundatum sit. His præcipuè accessit, quòd fuerint ad exemplum Italiæ, Galliæ, & Hispaniæ, quibus Jus Civile ob suam æquitatem sese pariter insinuaverat, etiam in Germania, ut Augustæ Trevirorum, Trier, Viennæ, Coloniae, vel ut vult Laud. Stryck. *d. l. §. 22.* omnium primò Erfordii, aliisque in civitatibus, Academix erectæ, in quibus Jus Romano-Justinianeum publicè tradebatur, seu prælegebatur. Quis jam negabit, hac occasione magnâ sanè autoritate fuisse præmunitum, nec minoris pretii habitum?

I. Reflexio Crit. Hist.

16 Quod diximus Jus Romanum per VI. ferè sæcula jacuisse sepultum sano, velim, sensu accipias: communis quippe est opinio, quòd quamvis usus Juris Justiniani vel nullus amplius, vel exiguus fuerit, viguerit nihilominùs quadantenus Codex Gregorianus, & Hermogenianus, seu potius successu temporis Theodosianus. Citat quidem Gregorius I. qui exiguo post Justinianum tempore vixit, nonnullas Justiniani leges, & novellas *Lib. 11. Epist. 54. ad Joannem Defensorem euntem in Hispaniam, cujus verba repetit Gratianus caus. 11. quæst. 1. c. 38.* sed apud Isidorum Hispalensem, qui exiguo temporis intervallo postea vixit, anno ferè post Justinianum septuagesimo *Lib. 5. Originum cap. 1. de Authoribus Legum, de Gregoriano, & Hermogeniano Codice* aliqua attinguntur, de Theodosiano etiam ista leguntur, in fine capituli: *Postea Theodosius minor Augustus, ad similitudinem Gregoriani, & Her-*

Hermogeniani, Codicem factum Constitutionum, à Constantini temporibus, sub proprio cujusque Imperatoris titulo, disposuit, quem à suo nomine Theodosianum vocavit: De Justiniano autem, cujus tum parva haberetur ratio, nihil commemorat. Quod ergo passim legitur apud Authores sæculorum posteriorum de Lege Romana (quã perinde ut Longobardicã, Salicã, & Gothicã, qui eam sibi ab initio eligendam putassent, ex Constitutione Lotharii Filii Ludovici Pii, quam commemorat Sigonius Lib. 4. de Regno Italia vivere poterant) non de Justiniano Jure, sed Theodosii Codice intelligendum est. Hinc quod ait Imperator Ludovicus in addit. Lib. 4. ad Capitular. Caroli M. c. 102. Ibi: Scimus enim, quoniam talium criminum patratores LEX ROMANA, quæ est omnium humanarum LL. Mater, igne cremari jubet; de Codice Theodosiano intelligendum est. Et juxta hanc Legem Imperator sodomiticum scelus puniri voluit. Convenit quidem hæc sanctio Ludoviciana ferè cum ipsa Nov. Justiniani 141. Quippe utrobique eadem contra detestandum scelus adducuntur argumenta. Verùm cum flammæ supplicium sodomitis ibi dictaverit Ludovicus, facilè animadvertere licebat, se per Legem Romanam non intellexisse Justinianeam; nam nec in L. 31. C. ad L. Jul. de Adult. nec in §. 4. Instit. de Publ. jud. nec in Nov. 77. & 141. uspiam ignis supplicium, sed tantùm gladii dicitur. Tandem addi potest, Ludovicum ad Valentiniã, Theodosii, & Arcadii legem, quam A. C. 390. injunxerant Orientio Vicario Urbis Romæ, respexisse, quã flammis vindicibus expiari hoc crimen jubetur, ne ampliùs urbs Romana (virtutum omnium Mater) effoeminati in viros pudoris contaminatione foedaretur. Est autem L. 6. Cod. Theod. ad L. Jul. de adult. in corpus Justinianicum nunquam translata. Vide insuper, quæ latius habet Conring. de O. J. G. cap. 20.

II. Reflexio Hist.

Nolim tamen credas, jus Justinianicum præsertim quoad Codicem, & Novellas eã ætate planè fuisse ignotum, seu oblivioni traditum; quippe contrarium ex Ivone Carnotensi, &

Anselmo Lucensi (cujus frequens mentio in notis ad Gratianum editionis Gregorianæ) discere est. Sed & apud Ecclesiasticos, inque foro eorum, magna passim autoritas fuit Novellarum Justiniani, & LL. Codicis, quoad ea, quæ ipsorum statum concernebant. Apud Ivonem, Johannes VIII. Pontifex Max. *part. 3. cap. 98. Nostra*, inquit, *serenitas cum præscriptis Episcopis, inspectis legibus Romanis, ubi habebatur de sacrilegiis, invenimus ibi à Justiniano Imperatore Legem compositionis sacrilegii constitutam, scilicet in quinque libras auri optimi. Lex, ad quam provocat, est L. 13. C. de Episcopis, & Clericis.* In Concilio Parisiensi, tempore Ludovici Pii Augusti habito, apud Ivonem *Decret. part. 14. c. 21.* Novella Justiniani de Excommunicatione adducitur, & additur, *quam probat, & servat Ecclesia.* Hincmarus Rhemensis, eodem elogio Novellas ornat, *opusculo 55. cap. 29. & cap. 51. p. 587.* ubi de illis: *quibus debita*, ait, *observationis reverentiam Ecclesia exhibet.* Ivo Carnotensis circa ann. 1100. *Epist. 242. de Novellis his. Eas composuisse Catholicos Reges, & ex auctoritate Ecclesie Romanæ, Catholicis populis servandas tradidisse, easque commendare, & servare Romanam Ecclesiam*, scribit. Sed ista quidem ad forum Ecclesie Romanæ saltem, non item ad Civile Regimen spectant.

III. Reflexio Crit. Hist.

18. Crisi omninò subijci potest, Irnerium jus Justinianeum, coepisse interpretari, cum tamen eum præcesserit Pepo, quem jus Bononiæ ante Irnerium tradidisse, ferè compertum est. Bene mones! nec nobis alius sedet animus: Interim tamen Irnerii famam (cujus beneficio postea gloriam restituti juris solus abstulit) longè fuisse majorem, non dubites: Testis est Odofredus JC. tus temporibus illis admodum vicinus, cujus verba adscribemus, qualia extant in Commentariis ejus ad *L. Jus Civile 6. ff. de Justitia, & Jure. Dominus Irnerius*, inquit, *fuit apud nos Lucerna Juris, id est, primus qui docuit in civitate ista. Nam primò coepit studium esse in civitate ista in artibus. Et cum studium esset destructum Romæ, Libri Legales fuerunt deportati ad civitatem Ravennæ, & de Ravenna ad Civitatem istam. Quidam Dominus Pepo coepit auctoritate*

te sua legere in Legibus. Tamen quicquid fuerit de scientia sua, nullius nominis fuit. Sed Dominus Irnerius dum doceret in artibus in Civitate ista, cum fuerunt deportati libri legales, cepit per se studere in libris nostris, & studendo cepit docere in legibus. Et ipse fuit maximi nominis, & fuit primus illuminator scientiæ nostræ, & quia primus fuit, qui fecit glossas in libris nostris, vocamus eum *Lucernam Juris*. Ex quo loco non Peponem solum ante Irnerium jus Bononiæ docuisse, sed & Irnerium primum omnium glossas scripsisse patet, quod postremum, ex actis haud dubiè Bononiensibus, tradit quoque Sigonius in *Historia Bononiensi ad Annum 1102*. Atque hoc velle videntur verba Imagini Irnerii, ut perhibent J.Cti Bononienses, adscripta. *Irnerius omnium primus leges commentatus est An. 1128*. Primus ergo Peponem Leges docuit, at Glossas primus scripsit Irnerius.

IV. Reflexio Critica.

Diximus jus Justinianicum magnam ob suam excellentiam¹⁹ obtinuisse existimationem; nec ausi fuimus addere: & *Auctoritatem*, videlicet decisivam, seu Legislativam. Id consultò factum: Nec enim facile assentimur iis, qui docent, fuisse à Lothario II. expressâ constitutione introductum, & approbatum: Suspecta enim nobis videtur filia, de cujus matre nec ex historia, nec ex constitutionibus Lotharii quidquam constat. Fusiùs hanc opinionem refutat Conring. *de O. J. G. c. 21*. atque exinde magis dubia redditur, quòd solemnibus hujus sanctionis sine dubio curam habituri fuissent J.Cti. Bononienses, nec permisissent, eandem interire, quod jam ante Conringium observavit Lindenbrog. in *Prefat. Cod. LL. antiq.* Hoc tamen nemo, quantum memini, inficias ire ausus fuit, sciente, & patiente Lothario Imp. publicè auditoribus propositum esse jus Justinianicum, & hanc ratione novæ auctoritatis fundamenta jacta esse. Leo IV. Pontifex in *can. fin. Dist. 10*. Lotharium Imperatorem rogasse dicitur, ut *Romana Lex hactenus viguit, ita suum robur, propriumque vigorem obtineat*. Verùm Lotharius populo Romano libertatem reliquit, qua lege velint vivendi, & quali lege vivere professi sunt, tali lege vivant. Ast hoc ad Germanos vix referri potest,

nisi fortè ex hoc colligere velis, hanc libertatem vivendi legibus Romanis à Lothario Germanis non fuisse ademptam. Interim tamen quis negabit, scientiam, & conniventiam Imperatoris, accedente lapsu temporis diuturni, ejus ponderis esse, ut æquipolleat expressæ approbationi? Quod enim olim valuerunt diuturni mores in populo, scilicet ut vim Legum negotio tribuerent, *L. 32. ff. de LL.* quis hoc denegaret diuturnæ scientiæ, & conniventiæ Imperatoris, quantum ad usum juris Justiniani in scholis, & foris? Et sicut olim consensus tacitus, seu præsumptus populi usum in modum legis firmabat; ita hodie, quod nemo negabit, id ipsum præstabit consensus Principis. Fortius omninò argumentum pro restituta auctoritate Justiniani juris deduci poterit ex ipsa Friderici I. Imp. Constitutione, qua leges quasdam à se noviter conditas, majoris auctoritatis causâ Codici Justiniano inseri curavit. Evidens ejus rei exemplum est in famosa illa *Auth. babita C. ne fil. pro patr.* quam ipse Anno 1158. in gratiam studiosæ Juventutis non tantum promulgavit, sed & inter Imperiales Constitutiones sub *cit. Tit. C. Ne fil. pro patre.* inseri jussit. Jam quis credat Imperatorem, fuisse suæ auctoritatis ita prodigum, imò incurium, ut Corpori Legum extra omnem usum, & auctoritatem positarum suas addi voluerit? Imò, teste Radevico *Lib. II. c. 3.* Fridericus Imp. in Comitibus Roncaliensibus, ubi superiorem Authenticam promulgavit; rem quasi omnibus notam laudi sibi ducere non dubitavit: *Nōstis, quòd Jura Civilia nostris beneficiis in summum pro-
vecta, firmata, ac moribus utentium approbata, satis habeant robo-
ris:* Quod in iisdem Comitibus facto ostendit Imp. dum judices secum habuit quatuor disertissimos LL. Doctores, & Professores ex Academia Bononiensi, cum quibus, aliisque Jurisperitis ipse litigantes audivit, & lites composuit. Sed quid hæc ad Germanos? Sanè non multum. Plura dabit

§. III.

De Auctoritate Juris Justiniani apud Germanos.

Pervenisse jus Justinianicum usque ad Germanos, fuissetque in publicis Academiis, ut audivimus, traditum, atque prælectum nemo est, qui dissentiat. Debetur autem Erfordiensis Academiae An. 1389. fundatae, Strykio *ubi supra* §. 22. teste, quod illa omnium prima à Pontifice Urbano IX. cum Jure Canonico Jus Civile publicè docendi licentiam nata sit. Quod autem hoc jus etià publicà Auctoritate fuerit donatum, & præ Jure Germanico possessionem, atque proedriam obtinuerit, paucissimis quidem, sed solidissimis fundamentis ostendemus.

Et quidem imprimis, negotia civilia quod attinet, extant 21 ordinationes Imperii non tot quin plures. Sic in pace publica Ratisbonensi, & Mülbensstadiensis auf die geistlich und Kayserlichen geschribenen Rechte provocatur apud MÜLLERUM in *Reichs-Tags-Theatro P. IV. C. XX. & XXI.* In Ordinatione Judic. Camer. Wormatiensi an. 1500. ccccXCV. promulgata Imperator Maximilianus §. XX. disponit: *Es soll hinführo das Cammer-Gericht die Appellation von solchen interlocuten nicht annehmen: wie das in Kayserlichen Rechten geordnet und begriffen ist.* In Ordin. ejusdem Maximiliani d. a. 1510. l. XII. dicitur: *Die Notarii sollen Aufmerckung haben, daß nach Kayserlichen Rechten zu Aufrichtung aller oder jeztbemeldter Testamenten aufs wenigste sieben Zeugen nöthig.* In Ordin. Camer. d. a. 1510. §. XVII. jubetur pronuntiari nach laut gemeinen beschriebenen Kayserlichen Rechten. In Ordin. Cam. d. a. 1521. l. XXI. Tit. XXX. §. II. casus, si quis viâ facti rem suam, vel alienam occupet, deciditur nach Ordnung gemeiner Rechte, id est, secundum L. 7. C. unde vi, & in Recess. Wormatiensi ejusd. anni §. XIX. fratrum liberis jus repræsentationis asseritur, nach gemeinen Rechten. In Ordin. Cameral. d. a. 1545. l. LV. P. I. Tit. XIII. §. I. Ferdinandus I. sancivit: *Die Beyßiger sollen nicht nach eigenen Gutbedüncken, sondern auf das Reichs gemeine Rechte Urthel fassen, & tit. eod. dicitur: Es sollen auch Cammer-Richter und Beyßiger*

stßer ::: schweren ::: nach des Reichs gemeinen Rechten ::: gleich zu richten. Similiter P. II. §. XXXI. Daß es mit denen Appellationen in allen Fällen und Sachen, davon in dieser Ordnung nicht sonder Fürscheidung geschieht, vermöge gemeinen Recht gehalten werden soll. In Ordin. Jud. Aul. Tit. VII. §. XXXI. Confiliarii Imper. aulici jurare jubentur: Jetztige und künftige des Heil. Reichs Constitutionen und Satzungen neben denen gemeinen beschriebenen Rechten in Acht zu nehmen. Pariter in Recess. Imp. d. a. cl. l. LXX. §. C. legitur: Nachdem auch in gemeinen Rechten gnugsam versehen & in Ordin. Polit. d. a. cl. l. LXXVII. Tit. XVII. §. VIII. itidem mentio fit derer gemeinen beschriebenen Rechte.

- 22 Neque deficiunt textus quoad materias criminales. In Ordinatione Criminali Caroli Quinti judices sæpissimè ad jura Romano-Justiniana ablegantur: ita ut statim in præfatione conqueratur Imperator, daß die meisten peinlich Gerichte mit Personen, die unsere Kayserlichen Rechte nicht gelehret, erfahren, oder Übung haben, besetzt werden, & Artic. CIV. dicitur: Wenn jemand unsern gemeinen geschriebenen Rechten nach durch eine Verhandlung das Leben verwüret hat, soll man ::: aber in Fällen darum oder derselben gleichen unser Kayserlich Recht nicht setzen oder zulassen jemand zum Todt zu straffen, haben wir in dieser unser und des Reichs Ordnung auch keinerley Todt Straffe gesetzt. Paulò pòst. Aber sonderlich ist zu merken, in was Sachen oder derselben gleichen unser Kayserlich Recht keinerley peinlich Straff am Leben, Ehren, Leib, oder Gliedern setzen, oder verhängen, das Richter und Urtheiler darwider auch niemand zum Todt oder sonst peinlich straffen. Similiter ad jura Romana provocatur in Artic. CXVII. ubi hæc: und soll die Straff, wie davon in unserer Vorfahren, und unsern Kayserlichen geschriebenen Rechten gesetzt, gebraucht werden; ùt & Art. CXVIII. verb. und soll der Thäter nach Satzung unser Vorfahren, und unser Kayserlichen Rechten, darum gestrafft werden; quæ repetita etiam leguntur in Artic. CXX. CXXVI. CXXXV. & pluribus aliis. Nota: in prædictis Constitutionibus sæpius fit mentio:

tio : Unsere : unserer Vorfahrer. Jam sub his intelligi debere etiam Imperatorem nostrum Justinianum, manifestum fit ex Constitutione Maximiliani de An. MCCCCXCV. Ibi : Demnach zu mehrern Nachfolg und Ehre Gottes und der Menschen Heil Weyland Kayser Justinianus unser Vorfahrer am Reich löblicher Gedächtnuß männiglich zu halten ernstlich ermahnet, und strenglich geboten hat : : : wie denn solches des jezt gemeldten unsers Vorfahren Sägung klärlich weist, und aber dieselbe Gottes Geboth und des ehegenandten unsers Vorfahren Sägung : Ermahnung, Geboth und Pön ist leider in Vergessung und Verachtung von vielen Menschen überfahren worden, haben wir als Römischer König &c. Quid multis? In Ord. Jud. Imp. Aul. Tit. 7. in fin. ceu alibi (*Diff. Acad. ad Pand. Tit. de Jurisd. n. 17.*) jam notanter inculcavimus, luculenter præcipitur, daß das Corpus Jur. Civilis, & Canon. (non speculum Saxonicum: non Francicum: non Suevicum) allzeit auf der Reichs Hof: Raths Tafel, damit man sich dessen in zweifelhaften Fällen gebrauchen könne, stäts bey Handen seyn solle. Quid, quæso, clarus? Hinc

I. Reflexio Critica.

Vanum omninò contra hæc spicula hactenus jacta effugium est, dum satis frivole, ac frigidè comminiscuntur, per jus commune, durch die gemeine, oder Kayserliche Rechten non intelligi jus Justinianum, sed ipsum jus Germanicum in Imperii Constitutionibus dispersum, ceu post alios, licèt pauciores, probare conatur sæpè mem. Conrad. Sincerus in sua *Epist. §. 77. & seqq.* Benè! ostendant igitur, qui jura patria adeò extolunt (repetimus verba *loc. supra citati*) volumen aliquod, seu, ut vocamus, Juris, aut Legum Corpus univèrsum Germaniz Imperium concernens: Illud Jus commune Germanicum vel ab Ottone, vel ab alio Imperatore, quâ tali, pro toto Imperio circa causas privatorum latum, ac promulgatum. *Gene gemeine Kayserliche Rechten*, ad quæ se referunt tum *Recess. Imp.* tum aliaz ordinationes summorum Judiciorum. Veniant in publicum,

cum, & statim Legibus Romanis ab omnibus Universitatibus, & Academiis, ne dicam à nobis, repudium dabitur. Gratulabimur palmam Adversariis, victoriam iisdem plenis buccis canentes. At novimus, majores nostros scriptis legibus parùm, fuisse usos, sed moribus tantùm vixisse, atque consuetudinibus. Equidem habuere olim leges suas Franci, Burgundiones, Visigothi, Longobardi, Angli, Ripuarii, Normanni, Ostrogothi, Saxones, Bajuarii, Alemanni, Frisii. *ut supra* vidimus; sed quid ad nos Leges istæ? Non equidem latet per *ly gemeinte*, oder *Kaiserliche Rechten* ab iis, qui Legibus Rom. hanc gloriam invident, intelligi jura Germanica antiquiora, puta Saxonicum, Franconicum, Suevicum &c. Verùm, quin hujusmodi homines apertas Imperii Constitutiones ausu temerario invadant, non videtur dubitandum, ceu clarescit ex dictis, & mox infra dicendis. Accedit, quòd hæc quoque volumina in desuetudinem abièrint. De speculo Suevico id testatur SPEIDELIUS verb. *Exstat quidem der Schwaben-Spiegel in Constitutionibus Imperialibus, sed eò uti non solemus.* Imò jam initiò Sæculi XVI. Codicem juris Suevici rarissimum fuisse testatur MÜNSTERUS LIII. *Cosmograph. cap. XXVII. conf. WERLHOF. de jure Patr. spec. II. p. 179. & MEISCHNER in der Vorrede über das Schwäbische Land- und Lehen-Recht.* Quin imò ad speculum Suevicum, pariter, ac Saxonicum jam citra Sæculum XV. non amplius fuit provocatum, teste DATTIO *de Pace Publ. L. IV. c. l. num. 7.* An unquam hæc jura fuerunt in Academiis Germaniæ ad interpretandum ad normam Juris Justiniani prælecta? Misera planè Jurisprudencia! Miserrimus Imperii Status! si primum per frustra hinc inde undique dispersa, in nullum profus ordinem redacta sua principia investigare cogeretur. Imò ubi ista inveniet? Certè non in Imperii Constitutionibus, sive Recessibus, minùs in aliis, ut vocant, Speculis, in quibus isthæc supponuntur, ostendet. An audebunt asserere, in his Constitutionibus omnes jam contineri decisiones? Nónne si deficient, ad principia generalia recurrendum? Et ubi ista? Profectò nulli melius, quàm in Jurisprudencia Justiniana.

II. Re-

II. Reflexio Critica.

Profectò abs gravi injuria, summáque temeritate negari²⁴ haud potest, quin Constitutiones Imperii superiùs adductæ ad jus Romano-Justinianum sese identidem referant. Operæ pretium erit, ut ad firmandam causam denuò unam, vel alteram breviter percurramus. Equis enim dubitet, inquit Homel. *de Proedria Leg. Justin. præ jur. patr. §. 18.* Maximilianum Imperatorem in *Ord. d. a. cl. l. XII.* per verba jã suprâ relata: Und sollen die Notarien Aufmerksamkeit haben, daß nach Kayserlichen Rechten zu Aufrihtung aller, oder ißtgemelbter Testamenten auß wenigste sieben Zeugen nöthig, respexisse ad jus Justinianum, secundum quod septem testes in testamentis necessarii sunt; aut in *Ordin. Judicii Camer. d. a. cl. CCCXCV.* per verba: So soll hinfüro das Cammergericht die Appellation von solchen interlocuten nicht annehmen :::: wie das in Kayserl. Rechten geordnet, intelligi *leg. 2. ff. de Appellat. Recip. & L. 2. C. de Episc. Aud.* quibus textibus appellatio contra interlocutoriam dicitur inadmissibilis? quis neget, Carolum V. in *Ordin. Crim. Art. CXVIII.* per verba: Uns angesehen, ob die Ehefrau oder Jungfrau ihren Willen dazu giebt :::: nach Satzung unser Vorfahren und unser Kayserl. Rechte ic. intellexisse *legem unic. de Rap. Virg.* in qua eadem, quæ in *cit. Artic. iisdem ferè verbis* leguntur: *sive volentibus, sive nolentibus virginibus, sive aliis mulieribus tale facinus fuerit perpetratum,* Ambigendum quoque non est, eundem Imperatorem *Articul. CXXVII. verb.* Ein jeder böshaffter überwundener Rauber, soll nach Vermöge unser Vorfahren und unser gemeinen Kayserl. Rechten, mit dem Schwert :::: gestrafft werden, ob oculos habuisse *legem 28. §. 10. ff. de Pœnis: Ibi: Grassatores, qui præde causâ id faciunt, proximi latronibus habentur, & si cum ferro aggredi, & spoliare instituerunt, capite puniuntur.* Quo alio jure Carolus V. in *Comit. Wormat. sub Rubr. Wie es in Irrung der Possession §. und ob es sich je zu Zeiten, casu quo sit violentia commissa nach Ordnung der gemeinen Rechten, id est, juxta L. 7. C. unde vi pronuntiarj jubet? Ubi, amabo! jura nostra Germanica ante Jus Justi-*

nianicum de septem testibus in testamentis (quæ veteribus Germanis, teste Tacito de *M. G. c. 20.* erant incognita) adhibendis, de appellatione ab interlocutoria non permitta: de poena capitali in raptu virginum, de rapina amissione rei puniendâ quidquam statuerunt? Sanè hæc loca, inquit Stryk. *ubi supra §. 25.* abundè evincunt, fictam esse illorum opinionem, qui, ut juris communis auctoritatem juri Romano demant, in *Recess. Imperii* phrasin gemeine Rechte de juribus aliis in Germania receptis, & die *Kayserliche Rechte* de jure Justiniano tantùm intelligi contendunt: Promiscuum enim illarum phrasium usum esse in *Recess.* & utrobique regulariter jus Romanum intelligi, satis constat; Inde etiam fluit, quòd ipse Conring. *de O. J. G. c. 33.* esto aliàs in LL. Justinianæas, earumque prærogativas parùm comis, negare haud potuerit per jus commune intelligi debere jus Justinianicum.

III. Reflexio Critic. Historica.

25 Aliud est, quo sibi de victoria obtinenda blandiuntur Juris Justiniani Antagonistæ. Ajunt: Initio sæculi XV. Universitatum numerò in Germania adauctò, crevit etiam LL. civilium cultura, & in judiciis quoque omne punctum facere cœpit, adeò ut Anno 1441. Friderico III. Imperante, ob nimios Romani Juris abusus deliberandum publicè fuerit, an non consultiùs sit, jus Civile unà cum ipsis Jurium Doctoribus penitus ex Imperio proscribere? Verba prætensæ Reformationis, ut ajunt, *Moguntinæ art. 5.* ita sonant: Alle Doctores derer Rechte $\approx \approx$ sollen an keinen Gerichte bey keinen Rechten auch in keines Fürsten, vber andern Râthen mehr gelitten, sondern ganz abgethan werden, item Art. VII. Alle Kayserliche weltliche Rechte, so bißher in Heil. Róm. Reich Teutscher Nation gebraucht und davor gehalten sind, sollen alle todt und ab seyn. Et in declarationibus articulis istis subjectis vocantur Doctores juris Besold-Rechte, und nicht Erb-Diener derer Rechte, it. Stieff-Vätter und nicht rechte Erben des Rechtens, denen das Recht härter: denn deren Leyen verschlossen ist, und deren keiner den Schlüssel dazu
fin,

finden kan, bis beyde Theile arm worden, oder ganz verderbet sind, und welche durch ihren unordentlichen Geitz das Recht zu einem solchen Unglauben bringen, daß kein from Mann sein Vertrauen mehr darauf setzen mag. Ita narrat: Goldast. Reichs-Sagungen fol. 166. At enim verò (utimur pennâ Homelii cit. *Diff. jurid.* §. 4.) quis auctor fuerit illius reformationis, aut declarationis, an Fridericus III. Imperator, an verò ordines, aut alius, item num ordines universi, an, ut alii volunt, civitates tantum scriptum hoc Cæsari obtulerint, aut an non planè suppositivum sit, incertum manet. Et quidquid demum horum sit, vanum certè fuit desiderium illud, & exitu suo caruit, tantum enim abest, ut postmodum Doctores juris cum jure Romano è provinciis Teutonicis fuerint ejecti, ut potius eorum auctoritas in dies magis, magisque creverit, ut testantur MÜLLERUS im Reichs-Tags-Theatro pag. 74. his verbis: Diese sogenannte Reformation, ob sie schon von Kayser Friderichen auf den Reichs-Tage zu Manns denen Ständen soll proponiret, und vorgetragen worden seyn, ist in terminis eines blossen projectis geblieben, und weder auf sothanen Reichs-Tage, noch in folgenden Zeiten, im Heil. Römischen Reiche recipiret worden, einfolglich darff sich auf selbige, als einen Legem publicam niemand beruffen; Et CHRISTOPHORUS BESOLDUS Discurs. Polit. de præmiis pœnis, & legibus C. VIII. §. V. in verb. *Hæc reformatio nunquam fuit nacta legis vigorem.* Advertit præterea mem. Stryk. ubi supra §. 23. Privati hominis, non Imperatoris stylum hos articulos præferre, & contrarium aliunde constare ex *Rec. Imp. de An. 1442.* Imò rursus ipse Conring. loc. sæpius cit. hanc Constitutionem *PERINIQUAM & LONGE DURISSIMAM*, Besold. verò *d. l. 5. de LL. c. 8. §. 5. MIRABILEM, ET INIQUAM* appellant. Quid, quòd supposita facti hujus veritate, receptio Juris Rom. magis roboretur: siquidem si, non obstantibus omnibus his conatibus tum ab Imp. ordinibus, qui stragem Juris Germanici imminere advertabant, cum etiam, ut autumant, ab ipso Friderico contra jus Justinianicum adhibitis, nihilominus, testibus Conringio, & Besoldo, Lex Romana prævaluit, ma-

nifestè sequitur, quòd omnia ista reformationis studia in fumum abierint.

IV. Reflexio Critica.

26 Vix est, ut Constitutiones Imperii noviores, de quibus supra, possint se referre ad jus, seu consuetudines Vet. Germanorum, verùm debere se ad jus Rom. retulisse, elucet ex discrepantia harum Constitutionum cum præfato jure vet. Germanorum, & convenientia cum jure Justiniano. Lusus alex ex Tacito *de M. G. c. 24.* & ex superiùs dictis, à sobriis inter seria exercebatur: quis autem ignorat, tum jure Rom. *in L. 3. §. fin. C. de Aleator.* tum Jure nostro, quod Romanum sequitur, ut præjudiciis probat de Berger *Oeconomia jur. Lib. 3. tit. 10. §. 7. & seqq.* nec non Carpz. *Prac. crim. q. 134. num. 21. & 22.* esse reprobatum, ita ut condici possit, quod amissum est? Apud majores nostros nullus testamentorum usus. Tacitus *d. l. c. 20.* hinc in jure provinciali Saxon. *Lib. I. Art. LII.* ne alienare quidem erat permissum, nisi ei, qui corpore sanus clypeo, gladiòque præcinctus dextrarium suum, seu equum sine juvamine alicujus ascendere poterat, ne ægrotus, aut morti vicinus sub specie actûs inter vivos, cogitatione mortis instantis ultimam voluntatem condidat. Verba *cit. Art.* refert Homel. *ubi supra §. 7.* Alle fahrende Haab giebt der Mann wohl ohne Laub der Erben in allen Städten und allen Orten, und läffet und verleihet sein Gut, daß er begurt mit einem Schwert und mit einem Schild auf ein Ross kommen mög, von einem Stein oder Stock einer Daum Ellen hoch, ohne Hülf, also doch, daß man ihm das Ross und den Steg-Reiff halte. Wenn er das nicht thun mag, so mag er sein Gut weder vergeben, noch verlassen, noch gelehnen, dadurch er jemand entfrembde, der es wartend wäre nach seinen Tode. Eodem modo disponitur in Weichbildo *Artic. LXV.* Kein Mann aber noch kein Weib mögen in Sieg-Bett ihres Guts nichts vergeben, das über fünf Schilling werth sey, ohn der Erben Urtheil, noch auch ein Weib ohn ihres Mannes Urlaub. Nimmt aber ein Mann ein Weib binnen Weichbild, und sie beyde nichts ha-

haben, und erwerben darnach Hab und Gut miteinander, und legen das darnach an Erb, Kauffmann Schatz, oder dergleichen, die mögen wohl bey ihren gesunden leib ir gut verleihen, vergeben oder versehen, wenn sie wollen, ohn jemandes widerspruch, seit sie es selbst erworben haben. An testamenta non sunt hodie cum solennitatibus à Jur. Rom. præscriptis, & à Maximiliano Imp. in R. I. de An. clo Io XII. approbatis, ubique nota, & usitata? Jure Saxonico antiquo tres, sex, septem, imò septuaginta duo testes ad probandum necessarii erant. Spec. Sax. Lib. I. Art. VI. VIII. XLIV. LXIV. LXVI. Lib. II. Art. XXII. Lib. III. Art. XXVIII. Hodie apud nos obtinet jus Romanum, secundùm quod duo testes ad probationem ubique sufficiunt, per l. 12. ff. de Testib. Olim in Germania privato carcere licebat creditori debitorem suum, qui solvendo non erat, detinere, arg. Spec. Sax. Lib. III. Art. XXXIX. Weichbild. Art. XXVII. De jure Romano e contra privatos carceres habere prohibitum, l. 1. cod. de priv. carc. quod & à Germanis ubique observari, nemo contradicit. In Speculo Saxon. Lib. 2. Art. 60. domino, qui rem suam alteri commodavit, oppignoravit, vel simili modo rei suæ possessionem in alium transtulit, actio denegatur contra tertium possessorem juxta proverbium: Hand muß Hand wahren. Secùs jure Romano per L. 8. ff. commod. l. 17. §. 1. ff. Depof. l. 9. ff. de R. V. quibus textibus domino hoc casu rem suam à tertio vindicare permittitur, quod pariter ubique obtinere, quotidiana docet experientia. Hæc, & alia quàm plurima, & obvia satis jus Justinianeum in possessione, & præsumptione generali constituunt, simulque probant, derogare illud etiam legibus domesticis, quod mox firmare conabimur.

V. Reflex. Histor. Critic.

Caput itaque rei est, num jus Romanum ita fuerit usu receptum, ut non solum in subsidium, seu in defectum legum, & consuetudinum Germanicarum, sed omnino eo effectu allegari queat, ut pro eo tamdiu stet præsumptio, quamdiu non probatur consuetudo, seu statutum contrarium? Quæ nostra sem-

Semper fuit opinio : hujusque eò minùs poenitet, quò certius nobis est, fuisse per jus Justinianèum in Germania receptum, potissimam juris Germanici partem contra omnes majores conatus abrogatam. Videbimur fortè nimium dixisse : sed rursus non poenitet. Porrò ipsi dissentientes non dissententur, jura Romana contra mores Germanorum nimium quantum invaluisse. Ut igitur huic, ut credebatur, malo obviaretur, prodiit Friderici II. Constitutio, quam Albertus trium fontium Monachus ad An. 1234. his verbis refert : *Ad hæc, inquit, auctoritate regia præcipimus, ut si Comes, vel alius Nobilis judicium habens, non judicaverit secundum provinciarum consuetudinem, Domino Regi, sic ut dictum est, centum marcas argenti componat.* Quod maximo argumento est, in foris tunc temporis jura Romana contra consuetudines provinciarum invaluisse: cum aliàs tam gravi in contravenientes statutâ poenâ opus non fuisset. Nullam verò constitutionem hanc consecutam fuisse vim, facile inde colligere est, quod circa idem tempus divisiones illæ odiosæ Principatum in Germania invaluerint. Cui rei probandæ testimonium notatu dignum suggerit CUSPINIANUS *In Austria p. 51. apud SIGISMUND. à Bircken Desterreich. Ehren: Spiegel Lib. 3. c. 10.* pactionem referens, quam LEOPOLDUS Dux Austriæ cum Sorore sua Regina Hungariæ An. 1385. inierat, in verbis: *Est etiam inter nos proloquutum, & ordinatum, quòd filius noster Wilhelmus presentialiter, & post mortem nostram cum aliis nostris filiis, & liberis presentibus, & tunc relictis ad justam, & hereditariam portionem omnium nostrorum patriorum Principatum, & Dominiorum jus habeat patrimoniale, & æqualem cum iis, portionem habere debeat, juxta jura, & consuetudinem principum.* Attamen jam CHRISTINA Cæsaris Filia, ULADISLAO, qui in Polonia An. 1140. Principatum iniit, nupta marito suo persuasura, ut, exclusis fratribus, regnum sibi vindicaret, in Senatu agebat: *Sic in sua Germania, sic apud alias Gentes, quæ cultu vitæ, ingenii, & sapientiâ percellerent, moribus, atque Legibus receptum esse, ut maximus natus in bona paterna succedat, cæteris fratribus paululum aliquid præ manibus dari, unde vivant : prout testis est MARTIN. CROMERUS*

l. 6. de Reb. Polon. ab init. Unde itidem certissimum indicium fit, ubi Jus Romanum in foro Germaniæ penetravit, consuetudines majorum, veluti quæ primogenito successionem tribuebant, tanquam iniquas rejici, & e contra æquitatem *Nov. 118.* atque æqualem successionem commendari cœpisse. Quòdque per integrum Sæculum XIV. divisiones illæ receptæ fuerint, ejus rei luculenta apud HERTIUM *vol. 2. Opusc. Tom. 2. de cõment. appan. & parag. dist.* prostant exempla. Unde tutò collegeris, mores antiquos contra torrentè Juris Rom. non prævaluiffe. Nec diffitetur id Illustr. Boehmer. *In Jur. Eccles. Protest. Lib. 1. Tit. 2. §. 50. & 57.* dum ait: *Recepto jure Canonico, & Romano, non potuit non jus antiquum Germanicum insignem accipere cladem, & paulatim obsolescere. Hoc novum argumentum suppeditat, ostendens, quanto in pretio jus utrumque apud Germanos fuerit, ut etiam mores Germanos NB. IN PLURIMIS ERADICARE, eisque leges novas genio Germanorum baud respondentes, surrogare potuerit.*

Nota est inter utrumque jus controversia illa: Num possessio ipso jure in hæredem transeat. juxta Galliæ brocardicon: *Le mort saisit le vis. ?* Negatur in *l. 23. ff. de A. v. A. P. pr.* Ibi: *cùm hæredes instituti sumus, aditâ hæreditate, omnia quidem jura ad nos transeunt: possessio tamen, nisi naturaliter comprehensa, ad nos non pertinet.* Contendit Carpzov. *P. 3. decis. 225. num. 21. & 33.* Jus Romanum hoc in passu nunquam fuisse receptum. Nec desunt Affectæ. Numeramus præ aliis, quos BARTHIUS *Cent. 1. Dissens. in praxi occurrent. 99.* recenset, SCHILTERUM *Exercit. 15. §. 13. & seqq.* ac novissimè Illustr. HEINECCIUM *Elem. Jur. Germ. L. II. Tit. X. §. 297.* qui id de universa Germania à SCHILTERO demonstratum sibi persuadet, adducens præterea jus Saxonicum *Lib. 3. art. 83.* in verbis: *Was man einen Mann oder Weibe giebet, das sollen sie drey Tage besitzen. Was sie aber mit Clage erfordern, oder auf sie geerbt ist, das dârffen sie nicht besitzen.* Ubi rationem reddit GLOSSA. *Kombteiner also in eines Dinges Besizung, ob ihm Erb anstirbt. Diß Gut hat er allbereit in seinen gewehrnt, und besitzt es.,* Quum itaque, pergit, *juris Germ. meritò esse credatur, quidquid omnes originis*

German. Gentes commune habuerunt, rectè de moribus nostris id etiam affirmavit Carpzovius., Verùm neminem latet, CARPZOVIO olim jam sub Præsidio HAHNII speciali schediasmate, *de transitione possessionis in hæredes*, ita sese opposuisse. JOH. EICHELIIUM, ut applausum plerùmque meruerit, & non solùm collectores posterioris Partis Ufûs Moderni Pandectarum ILLUSTR. STRYKII *ad tit. ff. de A. vel A. P. §. 6. & seqq.* Sed & Viri Perillustres de BERGER, *In Oecon. Jur. Lib. II. tit. 6. num. 4. annot. 1.* de LUDOLPH *In Symphor. T. I. f. 933.* de WERNER *Observ. For. Part. I. Vol. I. Obs. 121.* nec non Illustris LEYSER *Medit. ad Pand. Spec. 371. IV. V.* ad castra ipsius transierint ex continua praxi Imperii defendentes, mores istos antiquos ad nostra usque tempora conservatos non fuisse, sed Jus Romanum contra eosdem invaluisse. Sanè si jactitata illa consuetudo universalis esset, cur Juribus statutariis demum in multis locis, ut possessio rerum hæreditariarum ad hæredes ipso Jure transiret, introducendum fuisset? Quale de Civitate Coloniensi refert Perillustris Dn. de LUDOLPH *II. Observat. continuat. 215. p. 626.*

SECTIO SECUNDA.

De utilitate, imò necessitate Juris Romano-Justiniani in specie.

JAM Digressionis Rubricæ faciendum satis. Inspectâ itaque, ut iter pararetur ad nostrum intentum, Juris nostri Justiniani Prærogativâ, Introductione, & Authoritate, quam satis nos probâsse, opinamur, progredimur ad scopum.

§. I.

De utilitate Juris Justiniani.

HUNC eò faciliùs attingemus, quò aptiora nobis ab adversæ partis oratoribus subministrantur arma. Joan. Georg. DE KULPIS (sub nomine CONRADI SINCERI) postquam in sua *Diff. Epistol.* jus Germanicum ad sidera quasi sustulit,

lit, Romanum verò non sine calumniis ad infima depressit, acerrimèque & usque ad nauseam perstrinxit, delabitur tandem ad ejus Interpretes, ac Glossatores, qui, ut §. 104. in fin. ait, in causa fuère, ut *Jus hoc* (Romanum) *ÆQUISSIMUM* aliàs, & *super omnia jura civilia NOSCI DIGNISSIMUM*, saltem apud imperitos, & qui artificū vitia ipsi arti imputare consueverunt, malè audire inceperit, eoque devenerit, ut, si per naturam fieri contingeret, ut Papiniani, Pauli, Ulpiani, cæterive *ILLUSTRISSIMI* Romani Juris *CONDITORES* redirent, verè dici posset, eos Romanum jus in jure Romano accensis luminibus quæsituros esse, reperiuros fore nusquam, aut apud paucissimos saltem. Pergit postea §. 105. his verbis: „Sed nescio sanè, an propter abusum, „aliàs curandum, res ex se factis utilis, debeat propelli. Retineamus nos famosum illud corpus juris, eoque cum nobilissimo systemate, & optimorum præceptorum thesauro, non „nomine tantum, quod plurimi faciunt, sed re ipsà utamur, reponamus illud non in armaria, ut cum pulvere, cum tincis, „& blattis conflictetur, aut saltem bibliothecæ numero inserviat, sed in memoriam, mentemque nostram, assiduâ lectione conservandum. Excolamus jus Romanum exemplo meliorum Doctorum nostrorum, solidè, non proletariè; discamus illud communis utilitatis, non factionis causâ, qua, hos „*Naturalistas*, illos *Legistas*, alios *Publicistas*, & sic deinceps appellari videas ab hominibus, qui vel odio, vel alio affectu adversus ejusmodi juris partes abripiuntur, aut in una magis, „quàm in altera edocti sunt, quasi verò ista secerni possint, quæ nonnisi mutua vi, ac indivulso sciendi principio jurisprudentiam nostram componunt. „ Sicuti autem utilitatem juris Justiniani summè commendat, ne tamen sui obliviscatur, principem locum legibus, & institutis Germanicis veteribus, atque hodiernis (vix & nos aliter, modò clarè probari possint) tribuit.

An fortè aliter Thomas. Juri Justiniano aliàs æquè infensus? 2
Minimè! Velit, nolit, causam nostram perorare tenetur. Præstitit hoc in *Diss. de ritè formand. stat. controv. An legum juris Justin. sit frequens* &c. §. 1. Ibi: Ita verò simul factum est, ut cum soli illi eru-

ditæ ex Academiis in fora reciperentur, & vel causas litigantium in foris proponerent, vel judicum personas sustinerent, tandem morum patriorum ignorantia regnare inciperet. Et in Histor. jur. §. CLXXIV. Ibi: Sed penetravit tandem ita, ut ubivis hodie floreat, & vigeat jus Justinianicum, & ubique in judiciis allegetur, jus verò Germanicum antiquum non solum planè ignoretur, sed & communis persuasio sit orta, ac si à jure Romano planè sit deglutitum; Nec non in notis ad Contra-di Sinceri Dissert. Epist. p. 118. Postquam verò judicia ex foro in aedes, & loca plerisque civibus occlusa translata sunt, & judicum loco Doctores juris peregrini fuerunt adhibiti, & ita cinnus juris patrii Justiniani, & canonici in praxin introductus est, aliter fieri non potuit, quam ut morum patriorum scientiam amitterent pariter plebeji, & eruditi. Ad-dit: Et nunc coacti sumus in scholis cum maximo tædio docere, & discere jus incertum, contradictorium, aut certè pessimè coherens. Ab his ultimis verbis debuisset, ne livorem suum proderet, meritò abstinere, cum juris GERMANICI connexio, nullibi (nisi fortè in concavo lunæ) reperiatur. Quænam, sodes! juris Germ. cohærentia esse poterit, quod nullum certum Auctorem, aut Compillatorem habet? quod ex diversorum populorum moribus, ac legibus primùm confirmari deberet? Huc ad rem apprimè faciunt, quæ habet Hoffman juris Germanici aliàs non minor Encomiastes sæpè cit. specim. de O. J. G. Sect. VI. §. 11. Res non nova est, inquit, Jurisprudentiam Germanicam gravissimis decumbere morbis: ingenuè illud doctissimi, & prioribus, & hodiernis temporibus fuerunt facti Jureconsulti. Neque laudabiliùs pergunt ibid. §. 26. aitque: Jurisprudentiam Germanicam gravissimis defectibus esse obnoxiam: illos oriri tam ex incertitudine, & neglectâ culturâ propriarum legum, quam ex amore, & veneratione jurium peregrinorum; plurimos verò antiquos mores partim ob incuriam Academicarum, & Juris Germanici Doctorum, partim ob mutatam Reipublicæ faciem, Germaniæ fora abdicasse: Profectò si unquam (dicam si sæpiùs) turpissimè hic hallucinatus est Thomasius, si minori tædiò majorem certitudinem, atque connexionem in legibus Germanicis, quam Romanis invenire se posse sperat: Si autem ipse hac in re desperat, inclementer hunc nævum juri Justiniano objectat. Sufficien-

ficienter jam ex dictis de utilitate juris Romani constare, existimamus. At fallimur!

I. Reflexio Critica.

Quænam utilitas, regerunt, ex juribus, quæ tantam in Germaniam nostram intulerunt confusionem, patrique juris stragem, jactari poterit? Nescio, qua animi intemperie (exclamat Conrad. Sincerus in sua Epist. §. 55.) illicò ad Quiritium Sanctiones plurimi deflectant, evagenturque; atque heic, in populo toto coelo discrepante, naturæ ingenio, ac moribus penitus contrario, quid nostris conveniat? indagare volunt. Qui hæc prodesse poterunt? Romanæ quippe, ut ait, §. 104. erant statui Monarchico accommodatæ, nobis libertas quædam erat conservanda, quæ nostris legibus præclare contemperabatur, quarum loco cum aliena illa jura fuerant usurpata, non potuit aliter fieri, quàm ut in applicatione ad casus occurrentes, disciplina ubique hæreret, impedireturque à se ipsa. Initio ergo revocati quasi postliminio juris, misera de publicis controversiis judicia fuere lata, in detrimentum communis salutis, in bella civilia, in ipsum denique Reipublicæ interitum valitura. Interpretationibus autem, quæ accisere postea, nil aliud effectum est, quàm ut jus hoc, quod antea statui monarchico satis aptum fuerat, superinducto isthòc schemate, nec huic nec ulli alii Reipublicæ formæ utilitatem amplius poterat certò præbere. Audiamus, pergit cit. §. 55. quid summus JCtus David Mevius ad jus Lubec. quæst. prælim. 1. num. 57. de ejusmodi interpretationibus sentiat. „Non leviozem, inquit, errorem illos errare, „existimo, qui ex juris civilis rationibus statutorum æquitatem „examinant, quàm qui ad eandem formam cuilibet ætati, sexui, & corpori crepidas, calceosque conficiunt. „ Error itaque est, ut prætendunt, si ad interpretationem jus Romanum in subsidium vocetur. Rationem rogas? Satis inclementer respondet Sincerus d. l. §. 56. „Et cur, inquit, sequemur hunc morem, quem non, nisi homines barbari, rerumque patriarum omnium imperiti, vel si mavis, ut elogio, quo Rupertus eos

„exornavit, appellem, doctores pedore, & squalore horridi,
 „pannis obsiti, semper illoti : semper intonsi, misericordiâ di-
 „gni, superiori tempore, ipsa velut necessitate coacti, intro-
 „dixerunt, ut cum aliquid omninò dicendum fuerat, stupo-
 „rem suum istis incrustamentis utcunque obtegerent. Annon
 „ingrati sumus nos, quos supremi Numinis indulgentia in cul-
 „tioris seculi tempora constituit, ut, spretâ disciplinâ, meliori,
 „jamjam nobis ostensâ, exhibitâque, priscae barbariei inhærere,
 „ac, repertis frugibus, nihilominus glandibus adhuc vesci ma-
 „limus? „

4 Quanta sani aliàs, ac omninò eruditi hominis impruden-
 tia, & impudentia ! Glossatores de Jurisprudencia optimè me-
 ritos, à quibus multa haud dubiè didicit, plurâque fortè habe-
 ret, quæ discat, injuriosissimis laceffire terminis non erubescit,
 rabulas forenses imitatus, qui, si malam causam foveant, calu-
 mñas calumniis cumulant, foliâque meris impropriis implent.
 Nec advertit, se contra torrentem tendere, dum ferè omnes
 concedunt, jus Romanum saltem in subsidium admittendum.
 Advertit tamen, séque multùm in favorem Juris Rom. dare.
 existimat, dum §. 59. *ibid.* his verbis se explicat : *Sed ut cavilla-*
tionibus locus omnis præcludatur, quis denique reverà heic Romani ju-
ris usus sit, tribus verbis expediendum est. Quoniam in corpore illo no-
stro, tanquam perfectiori juris artis exemplari, generales bonæ interpre-
tationis regule plures continentur, in explicando jure Germanico eas ad-
bibere possumus non ut PRINCIPIMUM, ad cujus regulam illius con-
ditio exigi debeat, sed ut INSTRUMENTUM, cujus subsidio dome-
sticæ rationes erui possint, estimarique. Juris Justiniani Encomia-
 sten etiam agit, licèt, more solito, sublimitatè in §. 47. ajens,
 posse retineri hoc jus ut *systema* aliquod *jurisprudentiæ, optimè con-*
textum, & INFINITA PRUDENTIA REFERTISSIMUM,
 quo & nos, & populi quicumque alii, utilissimè uti possumus,
 tanquam nobilissimo instrumento, cujus ope quisque suas leges
 interpretari, ac ad præsentés casus discat applicare. An à nobis,
 vir Eximie ! pro hac gratia, gratiarum actionem expectas ? sin-
 ceras pro tuo, quod fingis, nomine habebis : non tamen veras !

Quod

Quod præmittit, LL. Romanas respexisse statum Monarchicum, vanum est effugium; cùm plerumque præscindant ab omni statu, utpote, quod in se justum, & æquum est, respicientes.

II. Reflexio Critica.

Hoc captu videtur difficile, imò vix possibile: Extollit, Sincerus noster ad sidera usque LL. Germanicas, contenditque passim (at certè minùs sincerè) jus Romanum ut systema quoddam quoad modum docendi, & processum judicarium ordinandi posse recipi, ac retineri; nec etiam aliter à Germanis fuisse receptum; hinc quoad causæ decisionem præcisè standum esse LL. Germanicis. Mira sanè doctrina! quoad processus ordinem nos ad jus Romanum, quoad decisionem causæ ad jura Germanica, ad jura, quæ nec capite, nec pedibus, multò minùs corpore constant: verbo ad jura, quæ, ipso Auctore fidente, in oblivionem venerunt, ablegat. Ait §. 95. *Epist. Sed dum hæc scripseram, cogitatio apud animum meum suborta est, quid factum sit, ut leges Germanicæ veteres æquè, ac sequioribus seculis latæ, adeò IN OBLIVIONEM VENERINT, jus Romanum autem indies magis evaluerit, florueritque præ istis in Germaniâ? Rogatus cur? Quatuor rationes affert. Prima est, more solito Acatholicorum, ambitio SS. Pontificum, qui sub prætextu Vicariatûs Christi super omnes Reges, ac ipsum denique Imperatorem se extollere voluerunt. Alteram in eo ponit, quòd plurima pars juris olim in moribus consistebat, atque ipsæ leges scriptæ denique sub consuetudinum nomine iterum venirent, quales facillè in oblivionem, aut saltem confusam, minùsque certam disciplinam, possunt abire, præsertim ubi illæ non docentur, aut inculcantur juventuti, quod olim in Germania ob defectum publicarum scholarum fieri non poterat: Accessit Tertia, nimirum infelicitas temporum, quâ in Republica nostra omnia civilibus bellis impleta erant; cùmque in locum juris, ac judiciorum vis, & arma successissent, etiam leges antea scriptæ exularunt, & quoniam jam literis nondum erant excultæ, sub turbis istis, notitiæ hominum magis, magisque sunt subtractæ. Quarta denique* stu-

Studium novitatis, & peregrinitatis. Postquam barbaries ista, pergit, paulatim desæviêrat, ac inter cætera literarû genera, jura quoque cœperant restaurari, novitatis studium, quô, nescio qua animi imbecillitate, ac pruritu vano in res externas Germani semper ferimur, easque solas admiramur, ac ita extollimus, ut adversus patrias, illis etiam longè anteferendas, contemptum, ac fastidium ingens demonstrandum esse putemus. Consultissimi Manes! Propria confessio est optima probatio: Ergo LL. & consuetudines vet. Germanorum exolevêre: ergo ablegamur ad jura exoleta, ignota, &, ut ita dicam, ad non ens. An non extat (regeret) jus, seu speculum Saxonicum, Suevicum, Francicum, Weichbildicum? Non contemnimus: sint Saxonibus, sintque aliis sua jura (revid. dicta hîc *Seçt. I. §. 3. Rest. I.*) universo tamen Imperio Romano-Germanico sit, & maneat, donec Imperatori communi Statuum consensu aliter placuerit, Jus Romano-Justinianicum, non quâ tale, quod nemo ex Germanis somniat, sed quâ (ût ipse Auctor §. 47. dilaudat) *optimè contextum, & infinita prudentia refertissimum*, à Germanis liberè *receptum*. At unde hoc probamus? Ad plenum Adversariorum ruborem hæc omnia dilucidavimus superiùs (*Section. I. Digress. §. 3. per tot. & seqq. Reflex.*) Iis addimus, quæ habet Stryk. *cit. Diff. procem. §. 24. Ad finem vergente Saculo XV. demum, & cùm judicium Camerale fundaretur, majorem auctoritatem, naçta videtur Jurisprudentia Justiniana. Cùm enim Maximilianus I. Imp. Camera Imperialis judicium fundaret Anno 1495. primò in Assessoribus requisivit, ut essent jurium periti, & promoti, der Rechte gelehret und gewûrdiget, quo ipso dignitas Doctorum Juris publicè stabilita; nec dubium est voluisse Imperatorem, ut eo jure uterentur, in quo honoris gradum meruerant.* Jungantur, quæ habet §. 25. *d. l.* In verbis: Unde, cùm ab eodem Maximiliano Anno 1507. ratio procedendi in Camera præscriberetur, ipso facto ostendit, ad LL. Civiles recurrendum esse, cùm ibi ipse Imp. copiosè leges corporis Justiniani allegaverit, quod ante illud tempus in publicis Imperii Constitutionibus nunquam factum.

Unde

Unde evidenter apparet, jus Justinianicum pro jure communi à Maximiliano habitum, ut inde, si non expressâ lege, tamen tacità, quæ ex placito Imper. & Statuum resultat; *argum. l. 1. ff. de Constitut. Princip. receptum, & in Camera vi juramenti ab Imp. injuncti observandum sit. Dattius de pac. publ. lib. 4. c. 1. num. 117. & 118. de hac quæstione sic disserit: Nos, formulâ juramenti Cameralis anno 1495. concepti penitus inspectâ, & cum formulis juramentorum Suevici sæderis collatâ, quæ judicem, & assessores ad judicandum obligant, nach des Reichs und gemeinen Rechten, & jura Germanica in Imperii Recessibus, & Constitutionibus expressa, & jura, quæ tunc erant communia in Imperio, Casarea scilicet, & Romana, nomine des Reichs gemeiner Rechten intelligi debere hætenus semper existimavimus: Quibus omnibus ipse Thomafius Juri. Roman. ut constat, nimum quantum inimicus in not. ad Epist. Sincer. §. 81. n. 44. assentiri videtur, dum ait: Atque hæc Dattii sententia, & quæ ipse potissimum de solenni, & promiscua nominum confusione memorat, non videntur rejicienda, per ea, quæ jam notavimus num. 42. Ibi autem ita scribit: Sed si simul consideres, Doctores juris jam à tempore introductarum Academiarum in Germania omnibus viribus hætenus intendisse, ut Juris Justiniani usum introducerent in fora Germania, si consideres, quomodo iidem sub Frederico III. tentaverint elidere petita ordinum, de stabiliendo jure patrio adversus hunc eorum conatum (qua de re actum in dissertatione 10. Historico-Philosophico-Juridica) quodque jam sub Maximiliano I. & adhuc magis sub Carolo V. magnam auctoritatem in Aulis, & in foro obtinuerint; non miraberis, quod sub termino der gemeinen Rechte, quamvis antea jura Germanica denotante, voluerint pedetentim insinuaré jus JUSTINIANEUM vel Canonicum. Nec de hoc dubitat Hoffmann period. 5. §. 5. Jam cum ipse Conrad. Sincerus negare non ausit, nomine der gemeinen, vel simpliciter der Kayserlichen Rechten venire etiam jus Justinianicum, & illud quoad formalia processûs debere ex Ordinationibus, & Recessibus Imperii observari; ista nomina verò des Reichs gemeine Rechte: und Kayserliche Rechte, testibus Auctoribus hic, & superius (Digress. Sect. 1. §. 3. & in Reflexionibus) allegatis, promiscuè sumantur,*

re ipsa sequitur, esse communiter tam quoad formalia, quam materialia processuum, seu quoad decisionem causæ receptum, & hinc summè utile: Num & necessarium? docebit.

§. II.

De Necessitate Juris Romano-Justiniani.

7 **P**ostquam ex dictis, & deductis abundè constat, quanta sit dignitas, præstantia, & auctoritas Juris Justiniani, quanta in Imperio nostro ejusdem sit habita ratio, quàm incertum econtrà, confusum, defectuosum, undique dispersum, quàm neglectum, & ita quidem habitum, ut (si quædam noviora capita excipias) non solùm in defuetudinem, sed omninò in oblivionem abièrit, jus Germanicum, haud erit difficile illius etiam necessitatem ad oculum, ut ita dicam, demonstrare. Profectò in tanta LL. Germanicarum confusione si emergat dubium circa interpretationem Legum, seu Constitutionum Imperii, quò erit recurrendum, nisi omnium primò (& hoc neminem, si sapit, negaturum spero) ad Jurisprudentiam Romanam? Habemus & hìc fatentes Adversarios: Et imprimis fatetur hoc Sincerus in sua *Epist. §. 42.* ubi verba Joan. Tillii eruditissimi Scriptoris, qui loquitur de Regno Gallix, etiam in ordine ad nostram Germaniam applicat. Illa sic sonant: *Quemadmodum liberales artes serviunt Theologiae, ita leges scriptas ad rationem informatricem morum intelligendam adjuvare, docere jus suum cuique tribuere, ex ratione secundum Deum, & consuetudinum intelligentiam comparare, atque, ut Romani legibus Græcorum usi sunt, unde duodecim Tabule prosuunt, ita etiam REGES VOLUISSE ROMANUM JUS, & scriptum PUBLICE LEGI, ET DISCI IN REGNI ACADEMIIS, ut doceretur equitas, & excoleretur ratio, ex quibus PLURIMUM IN REGNO GALLIÆ JUDICATUR. Quòd si decreta, judicia, & statuta consuetudinibus anteponenda defuerint, neque babeatur contraria consuetudo, ex qua fuerit judicandum, posse adhiberi Leges. Id ipsum fateri cogitur d. l. §. 48. Tandem, ait, subsidiarium esse juris Romani usum, concedo, ut, deficientibus legibus, aut*

con-

consuetudinibus Germanicis, ad ejus oracula possit recurri, vix alio tamen effectu, quàm ut equitatis fontes indagentur. Num ultima verba intentioni Imperatorum in *Recess. Imper.* aliisque *Ordinationibus* correspondeant, judicent illi, qui à pertinacia, partiitumque studio sunt immunes: Nos pergimus. Christoph. Besoldus ejusdem cum aliis indolis Auctor nolens volens *Diff. de præm. pœn. & Leg.* ita scribit: *Maneat Provinciis singulis jus suum certum, & æquum, ipsorumque moribus, & statui accommodatum, sed tamen necessaria est planè interpretatio legum, & hoc nomine JUS ROMAN.* nostræque *Jurisprudentia commendatur, quatenus est Ars, & collectio Præceptorum ad dijudicandas incidentium negotiorum circumstantias conducens:* Multò prudentiùs utilitatem Juris Rom. commendat alter Antagonista noster Thomafius, qui in *vindic. de Exig. Pand. usu in for. Germ. pag. 227.* suam mentem his verbis exponit: *Scilicet nunquam mea intentio fuit, quòd velim jus Romanum eliminare ex scholis, sed hæc animi sententia est. Quoniam per verba Receptis Imperii ab illustri Strykio. Diff. prælim. §. 28. adducta, receptæ consuetudines Germanicæ, videlicet quasi maximam partem in speculis Saxonico, & Suevico collectæ sunt, juri scripto Romano præferuntur, ita ut hoc, illis demum deficientibus, legis auctoritatem in Germania obtineat, sua sponte sequitur, regulas bonæ methodi requirere, ut in erudienda juventute fundamenta jurisprudentiæ privatæ in explicandis communibus Germania consuetudinibus ponantur, æquè à Professoribus juris in formam artis redigantur, tum ostendatur, in quibus negotiis jus Romanum aliquid immutaverit, aut deficiens jus Germanicum (v. g. in doctrina de testamentis) suppleverit, tum denique addantur consuetudines singulorum locorum particulares. Atque hîc obsecro, quotquot in Germania sunt, juris Professores, ut si intentio hæc mea vel principiis rectæ rationis, vel fundamentis jurisprudentiæ civilis adversa sit, id mihi placidè, & cum rationibus ostendant. Id à nobis fiet per sequentia:*

I. Reflexio Critica.

Impudens, & aperta pertinacia est, quòd sæpiùs allegatus 8 Sincerus in sua *Epistola* passim juri Rom. etiam vim subsidiariam, aut interpretativā non sine injuria, & contra omnem veritatem,

adeòque ex mero contradicendi pruritu, seu potiùs innata invidia detrahere audeat. Quò ergo recurrendum, si statuta sint dubia, si jura patria deficient? Ad quid ergo in Academiis jurisprudentiæ Romanæ tantam impendimus operam? Ad quid illa ad jus Romanum maximo labore, atque industria nec minori Reipublicæ emolumento à præstantissimis viris tum in schola, cum in foro versatissimis circa jus Justin. edita Commentaria? Dissertationes? Evolutiones? Libri systematici in lucem dati? Frustra igitur viri isti præstantissimi his laboribus diu nocturneque insudarunt? oleum, & operam perdididerunt? Responde. Ignoscant Manes Sinceri, sed sincerè, si in ficto nomine sinceritas sperari potest. Hæc doctrina corruptela est juvenumque, senumque. Reviviscant jura Germanica nullo ordine compacta. Resuscitentur, quas habuerunt leges Franci, Burgundiones, Visigothi, Longobardi, Ripuarii, Ostrogothi, Saxones, Alemanni, Bavari, Frisii, Werini, Venedi, & alii, magnaque industriâ partim collegerunt, partim interpretati sunt, Joan. Heroldus, Petrus Pithæus, Gottfr. Wendelinus, Leibnitius, Eckardus, Joannes Sichardus, Nicolaus Boërius, Joannes Tilius, Dn. Petr. de Ludwig, Dn. Carol. Guil. Goertnerus, aliique. Sed quid leges istæ ad nos? Pleræque ex his neque in Germania latæ, nec fortè unquam in ea observatæ, conf. STRYK. sæpiùs *cit. discurs. Prel. §. IV.* Quis horum populorum in Germaniam nostram, quam ad tempus invaserant, legislatoriam potestatem quietè unquam possedit? Si recurras ad LL. Caroli M. ejusque Successorum, incumbet tibi probationis onus, fuisse comuni Statuum consensu latæ, & approbatæ. Specula, de quibus supra, sunt jura particularia nullatenus totum Romanum Imperium, ceu alibi monitum, concernentia. Si ad mores antiquos revertere placuerit, num hos nostris etiam temporibus putas esse accommodatos? An hodie (ut optimè advertit Homel. *cit. Diss. de proedr. Jur. Just. §. ii.*) homicidium non erit capitale, sed certo armentorum, ac pecorum numero luendum? An ignavos, & imbelles, & corpore infames coenò, ac palude injectâ insuper crate mergimus? an dotem hodie maritus offert uxori? an in-

interdictæ foeminis secundæ nuptiæ? an poena adulterii maritis concessa? an adulteram, accisis crinibus, nudatam domo expellere, ac per omnem vicum verberare agere hodie licere existimemus, quia id moribus obtinuisse apud majores nostros, refert TACITUS *de M. G. cap. XII. XVIII. XIX & XX.* & nos superius locis competentibus advertimus?

II. Reflexio Critica.

Referre placet adhortationem, quam ad studia Antiquitatum Germanicarum exhibet Sincerus *cit. Epist. §. 57.* quæ ita sonat: „Seponamus ergo nunc paululum Barbosam, & similes brocardicorum collectores, cæterum laude sua non fraudandos, & evolvamus curatius gentis suæ quisque historias, ac hujus generis monumenta reliqua, privata, publica, vetusta nova, edita inedita, quantum cuique licet, ut judicium super examinandis ejusmodi institutis, rectius instruere discamus. Nec est, quod putemus, elegantem quidem, sed non de pane lucrando esse hunc laborem, sint ejus utilitates non tam præsentis, ac illius studii, quo clientibus, præsertim ditioribus, prolixas chartas, quisquiliis talium allegationum illinitas, sæpè quæ piper amiciant, ne quid gravius dicam, vix dignas, ad mensuram vendimus; at sunt tamen illæ certiores, diuturnioresque, & posteritati, cujus curam utique debemus habere, longè utiliores. Neque etiam jurisprudentiam inter mercenarias artes, aut modos compilandi pecunias numerandam puto, multò minùs justitiam ita, imò Republicam, quæstui habendam, à quo sapientiores etiam Gentiles abhorruisse novimus. „

Ita est, nec nos contemnimus pro eruditione studium Antiquitatum, Legumque Germanicarum, & ex hoc capite aggressi sumus hanc provinciam. Exinde tamen nullus fiet Juris peritus, ad perorandas, seu dijudicandas causas satis habens. Benè tamen (& ita pro nostra causa confidimus) collatis Germanorum, & Romanorū Legibus, quanta sit harum, præ illis nobilitas, atque præstantia, luculentius addiscere quisque poterit; idcirco

ex illis parùm subsidii ad extollenda, seu promovenda Germanorum jura hauriet Sincerus noster. Et utut verum sit, quòd *juris disciplina*, ut ait Cicero *I. de Legib. non ex Edicto Prætorum; non ex XII. Tab. sed ex ipsa hominum natura hauriri debeat, ita ut, qui aliter jus tradunt, litigandi, non juris vias tradant*; exinde tamen non plus sequitur, quàm quòd Leges debeant esse accommodatæ genio subditorum, & idèò, quoad ea, quæ minùs congruunt, à legum Latoribus emendari. Interim tamen non ultra vulgus proficiet, ut differit prælaud. Auctor §. 49. *Epist. vel sapiet, qui, rejectis in decidendis causis legibùs Rom., ad jura Germanica sese mancipabit, sed potiùs tantùm erit semi-doctus, & Jctus, utpote arte interpretandi (quam ipse Sincerus unicè tribuit Jurisprudentiæ Romanæ) destitutus, omninò rudis, ac semi-vivus. Nec Besoldus, qui aliàs opinioni Sincertianæ admodùm favere videtur, ceu patet ex cit. §. 49. aliter docet, dum ibid. ita discurret: Jus Romanum, quatenus æqui, & boni continet artem, seu leges quascunque rectè interpretandi, ritèque applicandi modum docet, ut à nostris, ita à cujusque nationis homine utiliter disci posse, Item; Hinc deduco, Romanam Jurisprudentiam, NON PER OMNIA LEGUM VICEM supplere, sed solummodò (audax restrictio!) juris Artem posse docere. Hinc rursus Juris Romani necessitas negari haud quaquam potest. Et hoc est, quod nobis erat probandum.*

III. Reflexio Critica.

- I I** Sit itaque (dabunt Novatores nostri, nec enim aliter sine maxima temeritate possunt) aliqua saltem utilitas, & necessitas quædam hypothetica Juris Justiniani. Num idcirco consultum esse Imperio Romano Germanico quis autumabit, ut cum Doctes, tum Discentes omne oleum, & operam eidem impendant? Fortean impossibile fore, credis, ut Doctores, seu Jcti Germaniæ corpus juris Germanici conficiant; ita ut nulla supersit necessitas recurrendi ad jus Romanorum, sive Justinianeum?
- f 2** Sit omninò & Jctis nostris Germanicis sua laus (Nec enim Germaniæ nostræ Jurisprudentes in omni doctrinæ, ac eruditionis genere prorsus præstantissimi, & omnibùs majores encomiis

missi defunt) Sed si ex iis quæsiêris, unde originaliter tales evaserint, ingenuè (& vix aliter etiam Thomasiâni, modò sinceri!) fatebuntur, se ex principiis corporis Juris Justiniani potiorè suæ scientiæ Juridicæ hausisse partem. Verùm si de novo Juris Corpore conficiendo, ut turbis ex depravata Justitiæ administratione oriundis occurratur, & de jure Rom. planè abolendo sit sermo; res erit gravioris, & difficilioris momenti, quàm ut his pagellis possit constringi. Tentabimus tamen paucis nostram, & aliorum mentem exponere.

Quis futurus ille Imperator (cum Stryk. mem. Diff. præl. §. 42. 13 loquimur) qui unâ lege omnes Imperio subjectos constringere ausit? vel quando sperandus ille Statuû consensus, ubi unanimi voce suis Juribus renuntiaturi, & iisdè legibus se subjecturi: taceam: id nec ferre omnium provinciarum indolem, eodem legum nexu constringi subditos. Facilior omninò via patet præscindendis litium anfractibus: Notæ sunt illæ, quibus in Germania se macerant Jcti, controversiæ. Quid vetat, illas communi calculo Imperii Comitibus, hodie procul dubio ad perpetuitatem adspirantibus componere? vid. quæ de dubiis Cameralibus provisâ Rec. Imp. de An. 1654. §. 135. qui ita habet: *Ratione dubiorum Cameralium* (sowohl den Proceß als die Jura selbst betreffend) sollen die *Assessores* dieselbe hierzwischen zusammen tragen, reifflich überlegen, und das hierüber gemachte *Conclusum*, nicht weniger zur Mannschischen Kanzley zu dem Ende überschicken, damit von daraus den verordneten *Visitatoren*, und *Revisoren* davon bey Zeiten *Communication* beschehen, dieselbe sich darinnen der Nothdurfft ersehen, und bey bevorstehender *Visitation* die befundene Mängel um so vil desto besser *examiniren*, und denselben abhelffen können. Miuentur ita litigia, & otiosis DD. controversiis ponetur obex. Salva verò ita stabit auctoritas juris Romani, quæ ut stet, è re Imperii omninò est, cum ejus auctoritas simul promoveatur. Regna enim Europæa ferè omnia idem pro jure communi, non ex necessitate legis, sed ex ductu æquissimarum rationum, quibus jurisprudentia innititur, æstimant, & specialibus Regni Juribus deficientibus, eò sponte recurrunt, uti legere

gere est apud Arthur. Duck. *de Autorit. Jur. Civ. Roman. in Dominis Princ. Christianor.* Atqui verò, quid gloriosius Imperiò nostrò, ejusque Legibus esse poterit, quàm quòd insigni æquitate nitantur, & magna veneratione ab omnibus Europæ populis receptæ? Hactenus Stryk. Hinc frustra sperant omnibus malis, quæ per jus Romanum in Germaniæ fora in vecta fuisse sibi imaginantur, consuli posse, si omnia ad pristinam Legum Germanicam rationem inquirendo in vetustissima statuta, mores antiquiores, ac per diuturnam observantiam approbatas Nationum Germanicarum consuetudines nec non in speculum Saxonicum, & Suevicum, reducerentur. Et quid inde consurgeret? Corpus omni deformitate deformius: Dicam ex multis Capitibus conflatum Monstrum - non Corpus Juris. Et quis si rem seriò perpenderit, dubitabit?

14 Maxima præprimis quæstio est: „utrùm mores isti (scribit Hoffm. *sapè cit. specim. de orig. & Nat. Leg. Germ. c. 3. §. 12.*) „& instituta tam excellentia, tamque egregia contineant, ut eorum, si sint obsoleta, vel neglecta, restaurationem tam seriò optare debeamus. Id ii volunt, atque suadent, qui nimis magnifica de antiquis Germanorum legibus sentiunt, & omnes virtutes ad bonam vitam civilem requisitas in iis acquiescere, & reconditas esse, persuadere tentant, imò optandum fuisse, ut nunquam Germani eas oblivioni tradidissent, credunt. „At contra hanc opinionem factâ seriâ deliberatione *ibid. §. seq.* his verbis concludit: „Non modò reductionem jurium antiquorum Germaniæ rem tantis difficultatibus obnoxia esse, ut penè pro impossibili habeam; Verùm etiam si antiqua juris prudentia nostra ætati nostræ reverà sisti adhuc posset, minimè id suadendum esse, ut ad eam reverterentur Germani; imò potius optandum esse, ut nonnulla, quæ ex antiquis moribus in multis particularibus provinciis hodie adhuc observantur, in desuetudinem abirent.

15 PRIMUM argumentum desumit itaque ab impossibilitate: Et omninò benè! Cùm nullus *genuinus, & sufficiens* antiquarum legum, & consuetudinum detur *font.* Invenitur enim germana
juris-

juris prudentia vel scriptis legibus, vel non scriptis sancitis, & moribus: Ex his haurienda sunt vetera jura. Sed quod ad *scriptas leges* attinet, neque ubivis genuina, atque integra sunt, quò consiliò, cujusque autoritate conditæ, plurimum ambiguum est: eminent multæ *interpolationes*, & *emendationes*, à describentibus factæ: brevissima ex sunt, & haud sufficientem notitiam de gentium moribus præbent; neque omnia continere instituta probabile est; Unde verò eum defectum supplere poterimus? Unde ex tanta obscuritate, quâ brevitatis legum harum laborat, eritendum est? Neque clariora cognoscendi antiquas *consuetudines* principia supersunt: eæ certè majoribus obscuritatibus sunt immerse; jam quodnā eas cognoscendi habemus medium? Unde novimus, quòd mores sint verè Germanici? Quì probabitur in tanta gentium Germanicarum multitudine, in tanta obscuritate, ac varietate fuisse uniformes? Arbitrantur huic malo Academies, quæ Juri Romano aperuère, Germanico verò reclusere viam, mederi posse. At vix! imò ne vix quidem: unde enim, qui in Academiis vivunt, & iis inhaerent, comparabunt notitiam se primò, deinde alios instruendi: desunt Juris Germanici fontes genuini: parùm ex imperfectis, & ineptis compilationibus legum antiquarum Germanicarum dici potest: retius ad speciales Provinciarum, & particularium Rerum publicarum consuetudines respicitur: Sed quomodò pervenire poterunt, qui in Academiis docent, ad *istarum antiquissimarum consuetudinum*, & *Legum inquisitionem*, quæ innumeris locis innumere variant, & vix iis semper cognitæ sunt, qui diutissimè in iis locis commorati sunt? Nam etiam exemplum juris Romani per Academies in fora Germaniæ se insinuantis huc non spectare videtur: *Jura enim Germanica destituuntur iis subsidiis*, quibus Jus Romanum gaudebat, nempe quòd illud uno volumine contineretur, atque in scriptis extaret, jura Germanica antiqua verò plurimum sint jura non scripta, neque unum conficiant corpus, sed potius nimium dispersa, & inter se discrepantia. Porro isto ævo facilius in judiciis, atque foris per Assessores immutari aliquid poterat, cum majore gauderent libertate, & Principes, ac

Superiores parùm de privatorum legibus essent solliciti. Hodie verò tantam mutationem non tam facilè accidere posse persuadet, *præsens judiciorum status*, in quo ea statuendi, renovandi, & abrogandi facultas ab arbitrio, & usu inferiorum rarò dependet.

16 ALTERUM exinde æquè verè deducit, quòd, transmissâ etiam possibilitate, revocatio Jurium veterum Germanicorum nullatenus suadenda sit. Nemo nescit, quantum pristinus Germanorum status à moderno differat: Percurramus paucis: Ex superiùs dictis passim constat, statum illum innumeris vicissitudinibus fuisse obnoxium; rarissimè pacis, & publicæ tranquillitatis gavisum cimeliò: intestinis turbis mirè laceratum; hinc parùm coli potuisse legum studium: Principes quippe, atque Superiores gravioribùs curis detenti: perpetuis insuper bellis, & concatenatis dissidiis impliciti parùm de ordinandis rebus publicis cogitare poterant. Hodie, Germaniâ utpote magis pacatâ, Status Imperii majori curâ, & providentiâ suis territoriis invigilare non impediuntur. Nec pariter ignoramus, rudem olim Germaniæ fuisse faciem: rure vixisse Parentes nostros, agrariæ rei plurimùm; mercaturæ, seu negotiationibus autem minimè deditos, rarâque cum extraneis habuisse commercia, sed domi paucis contentos vixisse, & sequentium temporum delicias ignorâsse. Hinc paucioribùs legibùs vetera Germaniæ fora fuisse instructa: eorum consuetudines, atque mores cum vivendi ratione convenisse: in contractibus omnia simplicissimè peracta, & ideò etiam rariùs rixandi materiam ortam fuisse, constat.

Hodie terræ Germanicæ longè aliusest conspectus; exstructis civitatibus, & multò aliter rebùs publicis, membrisque civitatum ordinatis, florentibus commerciis, & ex iis ortis contractuum negotiis, profusaliâ obtinuerunt vivendirationem, ita ut paucissimæ illæ leges negotiorum hodiernorum multitudini nec sufficere, nec quadrare posse, videantur: Siquidem commercia cum exteris culta maximè exigunt, ut ad eorum statum, & mercaturæ commoditatem, ac promovendam celeritatem clariori, & certiori jure, quàm consuetudinario utamur.

mur. Multa olim ignorabantur vitia, multa etiam, etsi Reipublicæ valdè damnosa relinquebantur impunita: Vindicta privata nullis planè terminis erat inclusa, & exinde pauciora judicia necessaria. Ast hodie, auctis vitiis, & indies iis crescentibus, durioribus, imò & pluribus opus est legibus: Sublatâ per Superiorum auctoritatem omni se ipsum vindicandi licentiâ, non possunt non in judiciis plures agitari controversiæ, quàm in antiquioribus Germaniæ foris occurrere solebant: neque tamen illud tam neglectui veterum Germanarum legum adscribendum, quàm potius perversitati sæculi attribuendum. Interim certò credimus; melius esse in judiciis Advocatos, & Causidicos verborum bellis inter se contendere, quàm pati, ut ad jus manuarium revertantur Germani nostri.

Porrò judiciorum antiquorum Germaniæ similiter longè alia erat ratio, quàm hodie: præsidebant inferioribus judiciis homines illiterati, morum, & consuetudinum patriæ solùm gnari, æquitatem ex antiquis præjudiciis, aut Antecessorum sententiis, vel proprio arbitrio æstimantes. Imò & alius procedendi stylus, & diversissimæ ab hodiernis judiciis ordinationes personarum judicium constituentium. Inde ex ignorantia legitimè inquirendi ortas scimus probationes, seu purgationes vulgares: Idcirco non est mirum, si rem citius expediverint, & subtilitates jurium ignorantes, prout justum iis videretur, pronuntiaverint: ex eâ verò tam præcipitata, & celeri procedendi methodò nondū patet, an ubivis omnia momenta rerum probè attenderint: & an æquè benè, ac citò controversias litigantium composuerint: Paucis! *Germania antiqua in paucissimis cum hodierno statu conferri potest: mutatus est status publicus, mutata est conditio privatorum, mutata est terræ facies, mutatus judiciorum ordo, incolarumque vivendi norma*; quâ ratione igitur in novam hanc Germaniam revocari debere obsoleta Vet. Germaniæ jura, quis autumabit? Mirum sanè! Improbant eorum conatus, qui jus Romanum optimè dispositum in nostra fora introduxêre, & non dubitant suadere, ut leges obsoletæ, confusæ, & usque ad risum superstitionis, à quibus jam dudum recessum est, ad usum revocentur! Ad

quid proderunt antiquorum judiciorum mores, & statuta circa judicia, & contractus nostri ævi? In his quantus hodie juris cambialis usus? In matrimoniis plurimum ad juris Divini normam recurritur: in ordinationibus civitatum, & magistratuum parum hodie profunt antiqua statuta, omnibus penè rebus mutatis: In iis, quæ ad forum Ecclesiasticum pertinent, peculiæres quoque extant constitutiones: ut taceamus, quantum in Germanorum jura hodie Romanæ, & Canonice leges habeant influxum, & quàm valdè antiquos mores alteraverint, imprimis eùm in nonnullis Rebuspublicis, & civitatibus Germanicis, abrogatis planè antiquioribus juribus, expressè Romana jura recepta fuerint.

18 TERTIUM argumentum addit Hoffm. *d. l. §. 18.* quòd Vet. Germanorum leges minimè ad Statum Protestantium quadrare possent. „Nam vel leviter, inquit, leges antiquas Germanorum imprimis Capitularia inspicienti, & naturam morum Germanorum, eorumque originem contemplanti *vestigia Clericorum in oculos quasi incurrunt*, qui non pauca monarchiæ papali, & authoritati Clericorum faventia Germanis persuaserant, & ineptis principiis totam penè jurisprudentiam Germanicam corruperant. Certè si ad hoc attendas, videbis omnem antiquam jurisprudentiam Germanicam Clero faventibus esse superstructam doctrinis: Ita nata est persuasio, duplicem esse rempublicam in quavis regione Christiana, alteram Ecclesiasticam, alteram secularem; hujus caput esse Principem, illius Sacerdotes, & inter eos Pontificem; hinc opus esse, ut quælibet respublica duplicem hanc differentiam agnoscens permitteret Clericis particulare forum, in quo personarum Ecclesiasticarum res tractarentur, imò laicorum actiones dijudicarentur; ex nempe, quæ è legibus divinis sive sacris erant decidendæ, & conscientiam concernerent. Verùm hæc omnia deberent saltem Hoffmannum ad cultum veræ, & salvificæ Religionis, quæ operâ sanctissimorum virorum fuit in nostram Germaniam, ita faventibus Superis, introducta & vi cujus sacra

era à profanis segregata cernimus, convincere; Sed hæc non ad nos!

IV. Reflexio.

Quantùm imaginor, nondum sibi satisfactum credit Con-19 rad. Sincerus, qui *in sua Epist.* identidem inculcare non desinit, leges Veter. Germanorum tanquam domesticas genio nostro magis esse conformes, quàm jura peregrina, & exotica, præfertim Romano-Justiniana, quæ innumeris scatent nævis. At Legum Romanarum existimatio longè firmiores apud nos radices egit, quàm ut nudis Sinceri assertis evelli possit. Persuassissimi sumus, statui Germaniæ præsentì magis convenire leges gentium moratorum, quales erant Græci, atque Romani, quàm instituta majorum nostrorum, gentis potiùs barbaræ, & incultæ; retinendas potiùs leges, quibus mores nostri jam sunt accommodati, quàm revocanda jura desuetudine obliterata, & à moribus præsentibus penitùs aliena. Nùmne è re nostra fore; aut ad tempora nostra quadrare existimemus, si v. g. prohiberetur testamenti factio, aut rerum immobilium sine consensu hæredum facta venditio, mobilium autem alienatio non aliter permetteretur, quàm si alienans eà adhuc sit corporis firmitate, ut præcinctus gladiò, clypeòque dextrarium suum sine juvamine alicujus conscendere possit, aut si revocaretur jus Hagenstolziatùs, si reducerentur duella ista judicialia, ferrum candens, & reliqua superstitiosa probationum genera? Hæc sanè cuncta, & plura ejus generis alia olim quidem tolerari poterant pro conditione, & barbarie istorum temporum, hodie verò non nisi cum summa divinarum, humanarumque rerum perturbatione ad nos revocarentur. Et quamvis jam antea fassi simus, jus Justinianicum suis constare nævis, impetrare tamen à nobis nullatenus possumus, ut credamus, patriæ nostræ leges esse jurisprudentiam illam de cœlo delapsam, & omnibus reliquis, potissimùm juri Justiniano, miris modis anteponendam; restauratores juris patrii à Deo esse excitatos, ut THOMASIVS loquitur *in notis ad Comr. Sinceri Dissert. Epistol. num. 59.* aut Con-

ringii institutum Divinæ providentiæ esse adscribendum, ut idem vult THOMASIVS *Dissert. de ritè formando statu controversiæ &c. §. II.* Profectò si jurisprudentia Romana quibusdam scatet nævis, Germana haud dubiè longissimè pluribus, imò innúmeris referta est: Ita ut si alterutra à nævis purganda foret, multò leviori labore, majorique Imperii nostri utilitate illa, quàm ista in optatam Symetriad, & ad usum modernum, redigi, & concinnari posset.

20 Si fortè placuerit rursus ad Speculum Saxonicum, Suevicum, & Weichbildicum pro subsidio recurrere, parùm Sincerus noster, & alii efficient., Quàm multa in his Codicibus (sunt verba Homel. *cit. Diff. §. 25.*) superstitionis, ignorantia, & simplicitatis reperiantur documenta, jam non attingam, ne detrahendi studio quicquam scripsisse videar; vide interim magnum eorum agmen apud Dn. LETSERUM in *collatione prisici juris Saxonici cum jure Romano, & moribus hodiernis. §. X. XI. XII. XIII. XIV.* quæ quamvis sat multa sint, non tamen sunt omnia, & sanè multò plura inveniet, qui ipsum Weichbildum, & speculum Repkovii curatius perlustraverit., Præterea volumina ista collectiones morum sunt, corpus verò juris Romani scriptas leges continet. Sunt consuetudines incertitudinis, & confusio- nis plerumque scaturigo, & à Schlendriano celebri rabularum magistro originem trahunt: dependent ut plurimum à supina judicum ignorantia, qui ultra ea, quæ in foro, atque in terminis, ut ajunt, terminantibus viderunt, non sapiunt, & tantùm sciunt, quantum ex diuturna observantia memoriâ tenent. In quantum igitur jura scripta moribus antecellunt, in tantum sunt jura Romana antiquis istis Germanorum legibus meritò anteponenda. De origine LL. Romanarum, earumque Authoribus, quantum Germanos antecelluerint, non vacat ampliùs re- coquere, benè verò addere, Romanam Jurisprudentiam in- universa ferè viguisse Europa: Non enim in Italia tantùm fue- runt observatæ, sed in Hispaniam quoque, Belgium, Germa- niam, aliásque Europæ provincias penetrarunt. Imò in iis quo- que regnis, ubi nullus earum in foro usus, in Academiis tamen

tan-

tanquam jurisprudentia universalis publicis lectionibus præleguntur, & exponuntur: Petroburgi sanè celeberrimâ Russiæ Universitate, nec non in Sorbona Parisiensi, aliisque Galliæ Academiis, ceu scribit laud. Homel. ubi suprâ, publicè docentur, quamvis earum neque in Moscoviæ regno, neque in Gallia ullus usus forensis sit. Celeberrimos quoque juris Interpretes, & Professores omni ævo Gallia aluit, atque produxit, ex quibus Jacobum Cujacium, Franciscum Duarenum, Edmundum Merillium, & Barnabam Brissonium in præsentiarum nominâsse sufficiat, sicut igitur ortum debent leges Romanæ Soloni, Lycurgo, Pitaco, & præstantissimis quibusvis Græciæ Sapientibus, ita auctæ postmodum, & perpolitæ fuerunt à celeberrimis Legislato-ribus, atque Romanorum Philosophis. Apud hos enim, qui Jctus, ille idem Philosophus, idem Jctus, ita ut apud solos ferè Jctos sapientiæ amor in Urbe resedisse videatur. Hinc eadem Jurisprudentiæ, quæ Philosophiæ definitio *in l. 10. D. de Just. & Jur.* & non tantum Jctos, sed ipsos Principes quoque, & Legislatores Romanorum novimus Philosophi nomen fuisse consecutos. Ex quibus omnibus patenter elucet plus à LL. Romanis, quàm Germanicis omnino sperandum.

K. Reflexio Critica Monitoria.

Propugnâvimus hætenus, quantum hæc Opella admisit, 21 dignitatem, præstantiam, seu prædriam, receptionem, utilitatem, nec non necessitatem Juris Romano-Justiniani: Non tamen eò nos abreptos existimes, ut sputa Justiniani, aut Triboniani (ceu communiter non sine contemptu imputare solent Antagonistæ nostri) lingere velimus. Sit Juri nostro sua laus; stet in illius favorem prædria; sit ejus in Germania communis receptio, atque præsumptio, habeatque pro se fundatam intentionem: sit tamen pariter & Germanorum statutis, & receptis consuetudinibus, de quibus vel altunde constat, vel probari possunt, sua laus, suus vigor, ac robur: sit, & maneat Principibus, & Statibus Imperii (quidni & multò magis, si modum doctrina capiat, Imperatori) sua potestas legislativa, aliter, etiam


etiam contra jus Justinianeum, inter suos subditos liberè disponendi. Ita docti ita educati, ita potissimùm tum in praxi, cum in Responsis, tum etiam in aliis occurrentibus negotiis experti sumus. Si cui aliter videbitur, non irascimur, sed, veluti ab ejus opinione, nisi meliora edocti, amicè recedimus, ita eum sincerè rogatum volumus, ut caveat, ne, dum ab uno extremo ad alterum properare intendit, vulgatum illud incurrat.: *Incidit in scyllam, qui vult vitare charybdin.* Serio etiam perpendat, monemus, quznam, & quàm maxima exinde emergerent damna. Prò quanta Librorum, & Bibliothecarum strages! si, dato Jurisprudentiæ Romanæ repudii Libello, sponsæ (sit allegoriæ venia) enormiter cespitanti, deformi, monstrosæ, undique collapsæ, omnibûsque subsidiis destitutæ, in amplexus rueretur? Elige Lector Candide! Nobis verò sive Justinianeæ, quam hætenus commendavimus, & iterum serio inculcavimus, sive Germanica Jurisprudentia primatum obtinuerit,

semper SUPREMA ET PERPETUA LEX ESTO

U. I. O. G. D.
D. P. V. S. L. O. C.



PA-



PARERGA

EX

JURE NATURALI, CANONICO, PUBLICO, CIVILI, FEUDALI, ET CRIMINALI.

1. **J**Us Naturæ non subest mutationi,
 2. Et quamvis prohibeat tum Polyviriam,
 3. Cum Polygamiam.
4. Non tamen invalidat contractus rescindibiles metu initos.
5. Licetque tum hõs tum aliõ quocunque Jure occidere injustum aggressorem.
6. Regimen Ecclesiæ Christiano-Catholicæ verè Monarchicum,
7. Summumque Pontificem esse supra Concilia,
8. Possèque præcipere actus merè internos, asseritur.
9. Clerici sunt Jure Divino à potestate seculari aded exempti,
10. Ut nec in causa Civili possint coram Judice seculari reconveniri.
11. Sicut Prælatus Ecclesiasticus non potest constituere hypothecam etiam generalem;
12. Ita neque repudiare legatum Ecclesiæ relictum.
13. Qui præscripsit jus decimandi, non hoc ipso præscripsit Novalia propriè talia.
14. Laici autem jus decimandi præscribere nequeunt.
15. Una est in Imperio Majestas,
16. Residens penes solum Imperatorem.
17. Qui non potest esse Acatolicus,
18. Bene tamen seipsum eligere.
19. Tutor testamentarius etiam in tutela Electorali præfertur legitimo.
20. Utrum Peregrini teneantur legibus particularibus? Problema esto.
21. Potest subditus evitandæ legis causâ se conferre extra territorium.

22. *Consuetudo spiritum Legalem obtinet ab ipsa summa potestate.*
23. *Jurisdictio perpetuatur solâ citatione, intimatâ tamen.*
24. *Obligatio pupilli sine tutoris auctoritate contrahentis naturaliter subsistit, & non subsistit.*
25. *Transactio, esto requirat conventionem, non tamen est conventio, vel contractus.*
26. *Minor in integrum restitutus, non tenetur pretium restituere, nisi probetur versio.*
27. *Nec à laudo datur reductio ad arbitrium boni viri.*
28. *In querela inofficiosi testamenti datur, & non datur edictum successorium.*
29. *Servitutes tam continuæ, quàm discontinuæ etiam sine titulo præscribuntur tempore ordinario.*
30. *Et denominantur à prædiis dominantibus.*
31. *Lex Aquilia neque respicit culpam meræ omissionis.*
32. *Neque in conscientia purè juridicam.*
33. *Neque biennium excludit querelam N. N. P.*
34. *Nec juramentum firmat actum Jure Civili invalidum.*
35. *Jus accrescendi transit in emptorem hæreditatis.*
36. *Et obtinet etiam in verbis tantum conjunctis.*
37. *Emptor dicitur læsus ultra dimidium, si præter justum pretium quid ultra dimidium dedit.*
38. *Secunda venditio manet invalida, quamvis accedat traditio.*
39. *Tenetur venditor emptorem in evictione præcisè defendere.*
40. *Quamvis usuræ sint contra jus naturæ,*
41. *Possunt tamen in moderata quantitate fieri licitæ.*
42. *Pater tenetur dotare filiam cum emancipatam,*
43. *Tum divitem.*
44. *A delatione tutelæ non potest statim appellari.*
45. *Utrum exhereditatio sine elogio valeat? Problema esto.*
46. *Quamvis justè exhereditatus semper partem faciat,*
47. *Non tamen in computanda legitima fratres Germani (multò minus consanguinei) alterutrò parentum in legitima institutò numerantur.*
48. *Nec casus impotentiae includit casum voluntatis, aut vicissim :*

49. *Benè verò vulgariter substitutus excludit tam patremfamilias instituti.*
50. *Quàm transmissarios.*
51. *Non tamen pater unà cum filiis alteri filio succedens amittit usumfructum, quem priùs habuit.*
52. *Filius autem fideicommissò gravatus utroque jure duplicem quartam deducit.*
53. *Nec bonæ fidei possessor fructus, ex quibus est factus ditior.*
54. *Neque qui rem in extrema necessitate aufert, esto venerit ad pinguiorem fortunam, quidquam restituere tenetur.*
55. *Juri luendi pignoris, vel solvendi debiti potest præscribi.*
56. *Patri non debetur ususfructus feudi filiofamilias concessi.*
57. *Potest tamen iste feudum antiquum à patre etiam cum consensu Domini alienatum, licèt sit hæres patris, revocare.*
58. *Legitimi per subsequens matrimonium, non succedunt in feudis.*
59. *Culpa vera fundat verum delictum.*
60. *Potéstque Judex condemnare, quem privatâ scientiâ scit innocentem, si publicè sit probatus nocens.*
61. *Non tamen simpliciter loquendo jubere, ut fur ruptò laqueò delapsus, rursus suspendatur.*

F I N I S.



Crassiora Menda sic emenda.

| Pag. | Lin. | Legitur | Legendum. |
|-------|-------|---------------|-----------------|
| 29. | 7. | Teutonico | Teutonica. |
| 132. | 26. | <i>nevaem</i> | <i>navalem.</i> |
| Ibid. | Ibid. | OSTENDANDI | OSTENTANDI. |
| 201. | 16. | astutissimus | astutissimum. |

